

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

105

SIV 1960

MARIA  
AGONIZANTUM  
MATER,  
EXEMPLIS DECLARATA

Quam felix ejus clientum  
sit mors.

A T Q U E

ALIQUOT BENE MORIENDI  
PRAXIBUS EXPLICATA.



TYPIS TYRNAVIENSIBUS,

---

ANNO M. DCC. LXXV.



3095

IDEA EXPRESSA  
UNIVERSÆ

PHILOSOPHIE,

S U B

SACRATISSIMIS AUSPICIIS  
MAGNÆ HUNGARORUM

D O M I N Æ

VIRGINIS INTEMERATÆ

M A R I Æ,

A D A R A S

E J U S D E M T H A U M A T U R G Æ

E X

AUXILIATRIXIS EPIGRAPHE  
CELEBERRIMAS,

In Ven. Conv. de Csik Somlyó  
nuncupato

P U B L I C E

C R I S I E X P O S I T A & P R O P U G N A T A

PER

RR. FF. GEORGIUM ZELENEI,  
HIERONYMUM BÁNYAI, CLE-  
MENTEM TAMÁSI, JOSEPHUM  
BOGÁTS, TOBIAM BÁNYÁSZ  
ET CALIXTUM BRUNN.

Ord. Min. S. P. N. I rancisci.  
Strict. Obs. Provinciæ Stephani-  
anæ

Clericos Professos,  
Philosophiæ Lauream emeritos.

ASSISTENTE  
PATRE FRATRE  
LEONARDO LOSTEINER  
Præfati Ord. & Prov. AA. LL. &  
Philosophiæ  
LECTORE ORDINARIO.



ANNO A PARTU VIRGINIS  
M. DCC. LXXVI. M. & D.S. JACOBO SACRA  
hora consueta.



## EX LOGICA.

1. Cognitionis per admirationem,  
& experientiam progenitæ Magis-  
trastam Logicam, 2. Principio contra-  
dictionis innixam, 3. Virtutem esse in-  
tellectualiæ censemus, 4. Sive sumat-  
tur ut Ars activa est, 5. Sive Scientiæ  
nomine insigniatur; quippe 6. Utrō-  
que modō facilitat intellectum, non  
tantū ad sui ipsius clariorem ideam ha-  
bendam, 7. Verūm etiam ad aliarum  
scientiarum principia cognoscenda; ad  
hæc tamen 8. Nullam esse absolutam  
illius necessitatem arbitramur; 9. Ne-  
que censemus illam una cum aliis scien-  
tiis esse nobis congenitam. 10. Oper-  
atur autem Logica cum primis propter  
*Sylogismum secundo intentionaliter objectivum*, 11. De cuius essentia esse etiam il-  
lationem, & 12. Ad hanc inferendam

concessis præmissis necessitari intellegum statuimus. 13. In gratiam præfati Sylogismi, quinque recipit Logica Universales Ideas Genus nempe: Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens de suis inferioribus, tanquam unum de multis ordinatâ lego prædicabiles, 14. Producendas ab intellectu patiente, per aetum comparativum compositum secundi generis; 15. Quarum neutra destruitur, si prædicatio fiat de singulari, Bene vero: 16. Si intellectus aliò divertat. Porro 17. Generis ratio exigit, ut prædicetur de pluribus naturis completis per modum partis determinabilis, 18. Nec sine offensa de una natura, aliis implicantibus, fit prædicatio ejus; 19. Species prædicatur in quid completere, & 20. Rationem Universalis Ideæ sortitur per respectum ad inferiora sua, 21. Respectu quorum Differentia etiam prædicabilibus accentetur, ac prædicatur per modum partis determinantis; 22. Proprium, & Accidens, prout prædicabilium nomine vniunt, prædicatur in quale simpliciter, ast imum necessariò, secundum contin-

gen-

genter vult prædicari de pluribus juxta  
debitam coordinationem Generum,  
Specierum, & Individuorum. ex his  
23. Si prædicatio sit conformis objecto,  
veritatem judicii parit; ita tamen 24.  
Quod si propositio nullum certum tem-  
pus significet (supposito, quod propo-  
sitio sit mentalis, & contingens de præ-  
senti) possit falsificari; 25. Non sic  
propositiones de futuro contingentia ab-  
solute, præcisō etiam Decretō Divinō,  
possunt de vera transire in falsam, sed  
sunt vel determinatè veræ, vel deter-  
minatè falsæ.

## EX ONTOLOGIA.

1. **O**ntologia non solūm scientiæ,  
sed & sapientiæ, ac proinde  
Reginæ scientiarum jure sibi nomen ven-  
dicit, utpote: quæ altissimarum, & à  
materia abstractarum rerum sit perscrutatrix,  
habens pro adæquato termino  
considerationis: *Ens reale, ut Ens est;* 2.  
Cujus Unicum, 3. Perfectè univocum,  
4. Et à suis inferioribus objectivè mo-  
daliter præcīsum posse dari conceptum  
arbitramur, atque 5. Tenemus: Ens  
non contrahi ad inferiora sua per veras

differentias, sed per modos solum intrinsecos. Porro 6. Ens illud transcendental, sicut non habet intrinseca essendi principia, sic nec extrinseca, 7. Bene autem principia sui cognitiva praebet nobis in simplicibus, aut compositis proprietatibus suis; quarum prima 8. *Unitas*; est forma realis per emanationem consequens essentiam, connotans rationem indivisionis in se, & divisionis à quolibet alio; 9. Altera *Veritas*, consistens in conformitate aptitudinali ejus cum conceptu ipsum repräsentante; 10. Tertia est *Bonitas*, consistens in appetibilitate ejus; quæ cum diversam connotent formalitatem, 11. Sequitur: illas tam inter se, quam ab essentia esse distinctas, ac proin dari Distinctionem; & quidem cum Ens multipliciter dicatur, 12. Multiplicem etiam dari Distinctionem Realem nempe: inter res separatas, & separabiles; 13. Formalem ex natura rei, inter plures formalitates eiusdem rei, & 14. Rationis in eadem etiam realitate, quæ omnes 15. Realem, aut intentionalem dicunt, proportionatum extremis, respectum superad ditum. super hæc 16. Solius creatæ Rationis

tionis potest esse fœtus: omne Ens impossibile ut possibile conceptum, 17. Nec potest illi primum esse dare quæcunque voluntas creata. Jam 18. Si rerum prima elementa Metaphysica spelemus: hæc originem ducunt ex concordia essentialium prædicatorum, quæ 19. Si ponatur intrinseca, convenit rebus ex se, 20. Si extrinseca, principiat ab Omnipotentia Divina, atque 21. Virtute efficacissimæ Voluntatis Ejusdem veniunt in statum existentiæ realis (Metaphysicè distinctæ ab essentia) verum 22. Non juxta Ideas Platonis, sed ita, ut singularibus inexistant, ac 23. Sub ratione formalí *Perseitatis* ipsum quid, fit substantia prædicamentalis; cui 24. Per suppositalitatem tanquam modum positivum, realiter à natura distinctum, ultima terminatio, & septimentum in intellectuali natura accedit; atque 25. Vel ex hac mirabili structura tanquam ex effectu infinitæ Potentiæ, vim obtinet demonstrationis naturalis, ratio, comprobandi existentiam Dei.



# *EX PHYSIOLOGIA.*

1. Physica, Principia, Essentiam,  
& Affectiones scrutatur Corporis naturalis, pro cuius 2. Primariis principiis intrinsecis, nec creatæ, aut increatae atomi, 2. Nec particulæ Nevvtonianæ, quâcunque illæ vi attractivâ, aut repulsivâ, sive etiam inertiae sint præditæ; nec Monades Leibnitianæ; 4. Nec quinque elementa Chymica Mercurius nempe: sulphur, sal, phlegma, & Terra damnata, aut Carthesiana ex cubis abrafa elementa, ritè constitui possunt; 5. Benè verò in eo rationem partis Physicè determinabilis tenet primigenium Hylen, quod 6. Forma substantialis absoluta in determinato, ac specifico esse ponit; 7. Hæ partes, ut unitæ, realiter à se ipsis resultantem, & distinctam causant tertiam entitatem in essentialibus compositis, ita tamen, ut in his 8. Simpliciter repugnet idem numero subiectum pluribus formis substantialibus disparatis, & ultimatis perfici, benè verò non ultimatis, & subordinatis, qualis est forma corporeitatis respectu animæ in viventibus. 9. Se-

cun-

cundaria corporis naturalis principia,  
dicimus esse : vulgaria Elementa, quasi  
alimenta virtualiter inexistentia mixtis,  
quæ 10. Quaternario cùm concludan-  
tur numero, non sine injuria à Cardano  
excluditur ignis. 11. Sunt autem sim-  
plicia corpora (elementa dicta) tam  
symbolica, quam dissymbolica sicut  
corruptioni, ita generationi obnoxia;  
atque 12. Sibi debitâ etiam gravitate  
donata, sive in propriis maneant domi-  
ciliis, sive alienis recipiantur ædibus,  
prout Hydrostatices leges id evincunt;  
& hinc 13. Mercurii in tubis Torricel-  
lianis ascensum, aereæ columnæ pre-  
menti pro ratione composita basis, &  
altitudinis adscribimus; nec non 14.  
Liquorum gravitatem in vasis cuius-  
cunque perimetri, modo non sint ca-  
pillares tubi; quippe in his 15. Ascen-  
sum liquorum ultra libellam adscribi-  
mus asperitati, aut viscositati liquoris,  
angustiæ parietum vitri, & aeris impe-  
tui cumulativè; 16. Ex iisdem ratio-  
nem reddimus: qua ratione majus in  
aqua, quam terra pondus portari que-  
at. Porro 17. Aquæ particulæ non sunt

rotundæ, nec octoedricæ, aut cubicæ,  
vel cylindricæ, sed instar anguillæ ef-  
formatæ, ac multiplici asperitate præ-  
ditæ; 18. Aeris verò compressioni,  
aut elaterio, aptissimam dicimus esse  
spiralem figuram, sicut, & Ignis actio-  
ni pyramidalis congruit figura. 19. Ne-  
que tamen Ignis per hoc potest omnia  
dissolve, si authoritas dicentis recipi-  
tur. 20. Causæ secundæ non sunt cau-  
sæ merè Occasionales, quasi Deus om-  
nia operaretur in nobis sine nobis, sed  
suo modo principales, 21. Non præ-  
moventem, sed simultaneum exposcen-  
tes concursum Causæ primæ, Quæ 22.  
Profusâ suâ liberalitate voluit, ut effe-  
ctus quosdam naturæ etiam vires ex-  
cedentes producere, vel à se productos  
recipere possimus; ita tamen 23. Ut  
certis limitibus potentiam nostram ar-  
efatam esse voluerit. 24. Essentia Cor-  
poris, qua corpus est, non benè expo-  
nitur per trinam extensionem Carthesia-  
nam, sed dicit pro prima, & adæquata  
ratione sua: extensionem entitativam  
pluralitatem partium præferentem;  
25. Cujus integritas in quantitate con-  
tinu-

tinua sit divisibilis finitè in infinitum;  
adeoque 26. Datur infinitum in poten-  
tia. 27. Affectiones corporis ut: quan-  
titas, qualitas; in sola materiæ diversa  
combinatione, textura, aut transposi-  
tione non possunt exponi, nisi quis au-  
thoritati Ecclesiæ, & SSmi Eucharistiæ  
Sacramenti speciebus detrahere velit;  
28. Dicimus igitur, Accidentia corporis  
naturalis entitatem absolutam materia-  
lem, & realiter distinctam præferre,  
quæ tribuat Corpori denominationem  
intrinsecam formalem calidi, frigidi,  
&c. qualitatum; 29. Ex simili vi intrin-  
seca provenit etiam vis attractiva Ma-  
gnetis, & succini, ac repulsiva ferri in  
Theamede, item 30. Gravitas, &c. quæ  
ut ratio formalis *sub qua* gravitat, vel  
etiam 31. Accelerat motum mediâ vi  
impellente, sive in perpendiculariter ca-  
dentibus, sive in plano horizontaliter  
inclinato, sive in linea curva Cycloida-  
li, aut Semicycloidali, vel Parabolica;  
& quidem ita, 32. Ut velocitates ac-  
celerationis in descensu crescant semper  
in proportione numerorum imparium.  
33. Universalis *Virium inertiae regula*, lo-

cum habet in corporibus Mathematicis,  
non in Physicis. 34. Natura abhorret  
vacuum, sive coacervatum, sive disse-  
minatum, adeoque sequitur: solum su-  
pernaturaliter posse dari illud; sicut  
etiam 35. Solum per dispensationem  
possunt compenetrari duo<sup>o</sup> corpora  
quanta, aut 36. Replicari potest cir-  
cumscriptivè idem corpus.

## EX COSMOLOGIA.

1. Mundus (prout compagem di-  
cit è Cœlo, Terra, atque ex  
iis naturis, quæ in ea continentur, co-  
agmentatam) Unicus, 2. Perfectus, 3.  
Probabilius cum tempore vernali fuit  
creatus à summo rerum Opifice, per  
Quem tamen 4. Poterat creari ab æter-  
no quoad entia permanentia, non  
quoad successiva. 5. Figura mundi sphæ-  
rica est, ac 6. Ordo partium conformis  
ideæ Tichonis, cumquo 7. Tres statui-  
mus Cœlos, Empyreum nempe: stella-  
rum fixarum, & Planetarium, atque 8.  
Igneum in hoc Solem, qui propriam vi-  
bret lucem, & commodet aliis Planetis.  
9. Maculas ejus repetimus ab opacis  
corporibus cœlestibus, 10. Maculæ au-  
tem

tem lunares nihil sunt diversum à partibus ejus rarioribus. Porro 11. Licet nos ex synodali concursu Solis, & Lunæ possimus defectum luminis solaris pati, Sol tamen non (ut reliqui Planetae) potest defectum pati naturaliter, 12. Nec ipsius, ut reliquorum, fit universalis Ecclypsis; unde sequitur 13. Ecclypsim Solis in morte Servatoris nostri non fuisse naturalem. Similiter 14. Naturalis non fuit Cometa ille terrificus, nuncius clavis Judaicæ sub Annum 1. Imperii Vespasiani. 15. Præter Meteorologicos, dantur cœlestes Cometæ, mundo congeniti, numero Planetarum accensendi, ex quibus tamen, uti nec ex aliis astris licet divinare Genetliacis futuros eventus liberos. 16. In Globo terraquo, num mare sit lacus terræ aut terra insula maris? esto quæsumus. Interim 17. Licet plures montes virtute diluvii universalis effectos esse supponamus ex testaceis inter montium strata reperibilius corporibus, nihilo minus plurimos intra sex dierum opificium efformatos fuisse defendimus. E contra 18. Licet plurima metalla crea-

ta fuerint in mundi exordio, probabile  
tamen censemus, hodie etiam generari  
virtute subterraneorum ignium, quos  
19. In terræ visceribus formaliter exi-  
stere arbitramur; 20. His adscribimus  
calorem etiam thermalem; 21. Mine-  
rales autem aquas à minis (per quas  
transfeunt) deducere suam efficaciam e-  
xistimamus. 22. Terræ-motūs causam  
præcipuam dicimus esse inflammatio-  
nem materiæ bituminosæ, & sulphureæ;  
23. Reciproci autem æstūs marini cau-  
sam naturalem nobis assignari postula-  
mus; interim 24. Fontium perennium  
originem deducemus ex mari.

## *EX METEOROLOGICA.*

1. **M**eteororum causam dicimus ef-  
fe terraquei Globi halitus sic-  
cos, & humidos tumultuariè erumpen-  
tes, ac præferentes congeriem innu-  
merabilium bullularum; quæ 2. Si fu-  
erint vaporosæ, & fœculentæ, in infi-  
ma aeris regione, caliginem caufant, at-  
que 3. Si rarefactione caloris altius a-  
scendere finantur, variò filaminum ple-  
xū in nubem texuntur, concurrente ad  
hoc etiam aeris motu; 4. Quod si præ-  
fatæ

fatæ bullulæ amplius congregatæ diffingantur virtutè caloris, aut frigoris moderati, in pluviam solvitur nubes; sīn verò 5. Intensius frigus diffractas bullulas citius corripiat, quam in pluvias possit abire, fit nix, concurrentibus ad hoc nitrosis etiam particulis; 6. Neque enim sine his congelationem fieri posse admittimus. 7. Rorem matutinum, & auram serotinam arbitramur nihil esse diversum à tenuissimis vaporum resolutis bullulis, quæ 8. Post casum accendentibus particulis nitrosis efficiunt pruinam, 9. Grandinem autem fieri ex nimbis in aere congelatis existimamus. 10. Mel licet à nonnullis, Meteoris aqueis accenseatur, ac cœli sudor esse dicatur, nos tamen exclusum esse volumus ex eo ordine, ac dicimus: Mel esse succum medullarem florū terreæ potius, quam aqueæ substantiæ. 11. Ventus est aer commotus, & agitatus, cuius agitationis præcipuam causam dicimus esse Solem. 12. Ventis accensi volūt etiam Typhon, Præster, Ecnebias, & Exhydrias. 13. Inter emphatica Meteora

præ-

præcipuum est Iris, ad cuius impres-  
sionem dicimus roridam, & conca-  
vam nubem à solaribus radiis irradia-  
tam requiri debere, 14. Nec posse  
apparere eam versus meridiem; 15.  
Poterat autem esse ante diluvium. 16.  
Halonis, Parhelii, Paraselenœ, & Vir-  
garum per aera apparentium causam  
assignamus e vaporibus elatis; 17.  
Corruscationis verd, Fulminis, & To-  
nitru causam materialem dicimus esse  
halitus calidos, & siccis ope fermenta-  
tionis, & intestini motūs in sublimi  
accensos, ac mediâ aeris diffractione  
sonitum edentes. 18. Simili materiæ,  
& causalitati adscribimus Stellas cade-  
tes, saltantes, aut discurrentes, uti  
& Chasma Annō elapsō *Die 16 8bris.*  
hic loci visum. 19. Habet autem Ful-  
men nonnunquam adjunctam Bronti-  
am, quam in sublimi conflari censem-  
us ex fulgurea exhalatione, & me-  
tallari materia.



# EX PSYCHOLOGIA.

1. **A**nima est principium intrinsecum, quod vivimus, sentimus movemur, & intelligimus. 2. Tria sunt Animarum genera, Vegetativa nempe: Sensitiva, & Rationalis; quarum 3. Quae libet praefert formam vitalium operationum in vivente, 4. Nec plures simul, aut successivè idem subiectum actuant, adeoque 5. Virtute solùm Rationalis Animæ sentit, & vegetatur homo. 6. Vegetativa anima, materialis est & divisibilis, tribus formaliter distinctis potentiis, generativâ nempe :nutritivâ, & augmentativâ donata; 7. Sensitiva anima pariter materialis est, & divisibilis ac non nisi ex semine utraque producibilis, ast insuper hæc cognitione, appetitu sensitivo & potentia locomotrice prædita; unde sequitur: 8. Bruta non esse mera Authomata, 9. Nec à solidis flammulis illa dirigi in operationibus; item 10. Non ritè eis tribui rationalitatem, aut spiritualitatem quamcumque, minus subsistere sententiam Bugeantii docentis: singulis Brutorum corporibus singulos dæmones, tanquam for-

formas asistere; sed habere Bruta principium intrinsecum, quod una cum potentia internorum, aut externorum sensuum, realem efficere possit sensationem; 11. Fiunt autem sensationes externæ potissimum in nervis, seu zonis communicantibus cum cerebro, in quo residere dicimus sensum communem, & ab hoc suum esse accipit sensitiva cognitio, quā mediante, Bruta feruntur naturaliter in convenientia naturæ illorum, fugiunt autem noxia. 12. Rationalis anima, spiritualis est, & immortalis, cuius 13. Immortalitatem, vel ipsā naturali ratione à posterioristico saltem demonstrari posse existimamus. Porro 14. Idea Mensis humanæ impiè exponitur in sententia afferente: eam esse particulam avulsam à Divina Essentia, aut particulam esse universalis Animæ; similiter 15. Fictitia est sententia afferens: Animas per traducem propagari, aut omnes primitū creatas fuisse à Deo; sed 16. Præfefert speciem Substantiæ simplicis, quæ à Deo quotidie creetur, & infundatur Corpori organico, illúd-  
que

que instar aliarum formarum actuet,  
& perficiat per realem influxum. Un-  
de etiam 17. Ruit Occasionalistarum  
& Præstabilitæ harmoniæ fundamen-  
tum, quasi vel à Deo ad præsentiam  
& volitionem Animæ, motus omnes  
peragantur; vel quod duplex illud Au-  
thomaton Anima nempe: & Corpus  
absque aliqua communicatione reali in  
mutuas actiones consentiant. 18. Du-  
æ sunt præcipuæ Animæ Rationalis  
potentiaæ, Intellectus scilicet: & Vo-  
luntas; quarum prima, ut causa par-  
tialis, producit naturaliter Verbum  
Mentis, ac judicium præticum, quod  
19. Voluntas velut potentia libera tam  
à coactione, quam necessitate, prose-  
quitur, vel respuit; recedit à Verita-  
tis via, aut accedit ad finem suum,  
Veritatem nempe: & Vitam Substan-  
tialem. *Cui sit.*

Omnis Honor, & Gloria.

Imprimantur Alb. Carolinæ. 3. Junii.  
Annō 1776.

Ladislaus Com. à Kollonitz m P.





## PRIMA PRAXIS BENE MORIENDI.

**G**odalitati B. Virginis se totum devovere.

I. Anno 1594. Viennæ Austriæ Parthenius Marianus præsentem sibi Virginem salutat moriens, & *Salve Regina* recitato, magna voce quam suavissime alloquitur: *Et unde, ajebat, mihi hoc, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Et plura his ubi addidit, simul cum MARIA colloqui desit, & simul cum Matre Domini

sui ad Dominum abiit, ut Sodales sequerentur. *Annuæ S.I.*

2. Henricus ab Haiden Canonicus, in Coll. Germ. Romæ in agone narravit se ad inferos a Christi tribunali jam detrahendum defensum esse ab Advocata MARIA ad dæmones sic dicente: *Quo vos istum, aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione servivit?* Inde, Sancti Andreas, & Apollinaris adfuere, & Henricus decisa lite felix vixit. Fortassis mortuus fuisset infelix, si Sodalis non vixisset! *Annuæ S.I.*

3. Dilingæ adolescens e Marianis unus, cum ad supremum certamen pro Præside evocaret Patronam Matrem Vir-

Virginem, præsentem illam  
vidit, & seipsum, aliorumque  
Consodalium nomina chara-  
ctere aureo tabulæ inscripta in  
Virginis manu vidit, legitque;  
migraturum Virgo clientem  
prædixit, & breve Purgato-  
rium per pessurum. Felices So-  
dales quorum nomina scripta  
sunt in libro vitæ! At cave ne  
te deleas. Ubi enim vel se-  
mel lethaliter (quod ablit!)  
peccaveris, dæmonis catalogo  
te inscribes. Anno 1590.

4. Anno 1594. Juvenis e  
Parthenone pientissimus, So-  
dalibus, qui morienti frequen-  
tes aderant, ut in extremo  
agone sibi non deessent, obni-  
xe rogatis, sumpto in manus  
Christi in Cruce mortui simu-

lacro, *Credo, credo*, ingemina-  
nabat: & postea quam *Non  
ita est; mentiris* inclamasset ad  
dæmonem, circumferebat ma-  
nu Crucem, eam in præsen-  
tem quasi hostem intentans.  
**Ubi** vero a pugna jam sedata  
respiravit, expiravit cum di-  
ceret voce ultima: *Quam bo-  
num est Beatæ Matri in ejus  
Sodalitio famulari!* Vere bo-  
num! experiere, promitto,  
in agone. Nam ubi illa est,  
& minister ejus erit. *Ann. Dolæ.*

**S.** Aniciensis Baro e Civico  
B. V. Sodalitio, vir militaris,  
& pro Christo moriendi sem-  
per cupidus, ajebat, supra  
suam bilem solem nunquam  
occidisse. Hic cùm Consoda-  
libus suis cinctus ad finem vi-

tæ

tæ totus jam vergeret , ma-  
nantes ex adstantium omnium  
oculis lacrimas verbis suavissi-  
mis abstersit. In Dæmonem  
inde scelestæ suggerentem plu-  
ribus insurgens , illud Divi  
Martini addidit : *Quid adstas ,*  
*cruenta bestia ? Nihil in me fu-*  
*nesti reperies.* Additoque Ps.  
*Miserere , & consuetis ad MA-*  
*RIAM precibus , explicatiore*  
jam fronte serenior , *En ego ,*  
*inquit , te video , pulcherrima*  
*Virgo ! o vere benigna parens*  
*quæ præsto semper es tuis in*  
*calamitate ! In manus tuas*  
*commendo Spiritum meum ! &*  
Spiritum exhalavit Anno 1605.  
Nemo e Virginis manibus  
tuum Spiritum extorquebit,

si illum MARIÆ commendes,  
dum vivis , quotidie.

6. Novodomi auctoratus  
Virginis cliens , sub ultimam  
luctam Cerberum canem ni-  
gerrimum abigi a se scutica  
jussit , quo Virgo Beatissima ,  
quam adventantem videbat ,  
ad se propius accederet , &  
jam præsenti acclamans : o Vir-  
go , ajebat , o Mater ! o Pa-  
trona mea dulcissima ! tu ne de-  
fere castimoniæ voto tibi obstri-  
ctuin , & in hora mortis me  
fuscipe ! JESUM & MARIAM  
addidit , & diem clausit , ac  
omnibus iis bonum vesperum  
reliquit in morte , qui dies  
suos Marianis obsequiis im-  
pendunt in vita. Anno 1609.

7. Bituricensi Sodali incredibiles quibus discerpebatur dolores nihil præter silentium, aut verba meliora silentio expresserunt. *Quam dulce, quam dulce,* inquietabat, *quam salutare,* o *Virgo Beata,* est *Sodalitium tuum!* Quid egi? quid cœmmerui, ut in illud adscriber? Tu mihi honorariam tutelam adhuc exhibuisti; eam ne redde, nisi Filio. Nemo unus erat adstantium qui dulcissimis his aculeis intime consatus non similem beatæ illi morti exitum postularet communibus omnium lacrimis. Quare adolescentis sancte defuncti Parens, a funere splendide curato Filii stationem in Albo implevit, Sodalis factus.

Respice finem , & ex fine æstima , quid sit esse Sodalem . Anno 1611.

8. Attrebate Prætoris hæres unicus , pietate tamen quam aſſe paterno ditior , religiosum Sodalem egit prorsus . In morbo a nemine , præter Matrem , contingi ſe passus , fœminas alias ne oculis quidem ferre poterat . Cumque innocentissimum conſcientiæ ſinum examinando excuteret , unum id ſuccurrit jam expiraturi adolescentis conſcientiæ ( quæ certe nihil tunc diſſimulare potest , aut fingere ) quod minus acriter ( audite Sodales ! ) quod minus , inquam , acriter ſomnum cohibuerit , qui ſibi ſemel iterum-

rumque in Mariano confessu  
inter Sodales clam obrepserat,  
id quod ille ut in plena totius  
Sodalitii corona nomine suo  
proponeretur, & simul venia  
pro dato scandalo impetrare-  
tur ab omnibus, Praesidem So-  
dalitii obnixe obtestatus est.  
In Collegio Soc. Jesu ardentibus  
votis desiderabat emori,  
non domi suæ, ut in Schola  
Jesu, Magistro Jesu daret ani-  
mam in minerval. Illo non  
impetrato, in stabulo vitam  
finire petiit, ubi suam Chri-  
stus, Franciscus, Ignatius in-  
choarant: id cum negaretur,  
tertium extorsit tandem, ut  
humi abjectus expiraret. Ita  
anima corpus in terra dese-  
ruit. Delicata profecto anima

A 6 quæ

quæ unius somnuli sibi conscientia abire noluit. Nos autem etiam stertimus. Quam secure claudent oculos, qui nunc vigilant! Anno 1612.

---

## SECUNDA PRAXIS BENE MORIENDI.

**B**eatiss. V. Officium, Rosarium, Immaculatæ Concept. officium orare.

I. S. Francisca Romana Officium B. V. quod alias etiam recitabat quotidie, quadam vice ad lucem apparentis sibi Archangeli tutelaris sui recitavit, & quoties Archangelus concutiebat coruscantem cæsariem,

sariem , fugabat Orcinianos in-  
colas. Sæpe illam B. V. Ma-  
ter recreavit , sæpe illi Filium  
**DEUM** in amplexus dedit &  
oscula , qui illi cubitum con-  
cedenti , mensæ accumbenti  
assedit comes , & quid ni etiam  
morienti ? Hunc vitæ Comi-  
tem quasi tibi præsentem sem-  
per & ubique habe , & habe-  
bis in morte propitium. *In  
vita.*

2. Jacobo Mloczki decimo  
ante mortem die B. V. duabus  
Virginibus . comitata adfuit ,  
& cœlum brevi morituro pro-  
misit pro præmio , eo quod  
Officium & Rosarium non ex  
consuetudine tantum , sed af-  
fectu plane singulari sibi quo-  
tidie perorasset. Si tu sic quo-

tidie peroraveris officium ,  
apte dices ad persuadendum ,  
& dicere lætus poteris *Dixi* ,  
ita persuadebis. *Annales Rigæ*  
*1611.*

3. An. 1609. Olomutii Adolescentulus e primo Grammaticæ pulvere jam Parthenius cum collapsis extreme suprema invaletudine viribus Officium Marianum in manus sumeret oratus , ajebat se id , utpote cœlo magis quam unquam vicinum , omittere nolle , quod integris viribus semper haetenus recitasset. Sed libellum aperienti , & jam jam lecturo & oraturo Mors oculos clausit. Libellus tamen adeo adhuc pertinax inhæfit teneris digitis , ut se non sine-  
ret

ret extorqueri ; quare cum  
Domino sepultus est. O si tam  
officiosi erga MARIAM esse-  
mus quotidie : Vere nihil no-  
biscum ad sepulchrum auferi-  
mus, quam nostra erga DEUM,  
erga MARIAM, erga Sanctos  
Officia. Tu Officio tuo ne  
desis , vide. *Annuæ.*

4. Jacobus quidam usuris  
plenus & vitiis B. tamen Vir-  
ginis Rosarium recitabat quo-  
tidie ; & jam ad extremum vi-  
tæ delatus, ubi omnia quæ be-  
ne ac male egerat lanci judicia-  
riæ appensa vidit , & majus  
longe malorum pondus esse  
advertisit , intremuit extra o-  
mnem prope spem positus ,  
ubi tamen Deiparam aspexit  
adjecto ad bonorum operu n  
lan-

lancem Rosario pondus lanci addentem, respiravit! & sibi tandem restitutus plenius, facta exomologesi, & rerum non suarum restitutione; felicior, quam ante vixerat, expiravit! Tu lanci tuæ Rosaria, officia injice, ut in examine non inveniaris minus habens.  
*Alanus. D'Auroultius.*

5. S. Dominici ætate Sorores tres Virgines una vivebant, pietati, & recitando quotidie Rosario intentæ. Sæpe illas B. V. Mater invisebat: sed tunc adfuit longe gratissima, cum inter Sanctas Catharinam & Agnetem media insignem plurium Virginum comitatum post se traheret, ac virgineam hanc trium sororum

rum triadem coronans dice-  
ret: *Nunc vos securas de Re-  
gno Filii mei reddo, in quod  
die crafino inducemini.* Fa-  
tum. Adest die sequenti Vir-  
go suis iterum stipata Virginibus,  
& miris splendoribus ac  
odoribus circumfusa , acci-  
nentibus : *Veni Sponsa Chri-  
sti &c.* cæli Ephebis , Neo-  
sponsas Virgines veste alba in-  
duit , atque ita cœli candida-  
tas , ubi mortem placidissi-  
mam obiere , secum abduxit.  
Et quis erga MARIAM libe-  
ralissimam parcus esse velit , si  
Rosario uno & altero tanta  
quotidie felicitas emi potest?  
*D'Auroultius de Rosario.*

6. Juvenis vagus , bibulus ,  
prodigus,dissolutus ad omnem  
vitæ

vitæ pejoris licentiam , sed  
(quod in tali Ganeone mire-  
re) Virgo , avunculi monitu,  
annum unum in recitando  
quotidie D. Matris Rosario  
constans exegit : & jam ex-  
eunte in Decembrem anno ,  
se alium ab eo nonnihil repe-  
rit , qui Kal. Januarii fuerat.  
Ergo in annum proximum  
Rosarium quotidie duplicat ,  
sensim & cum sensu seipso du-  
plo factus melior. Anno tertio  
tertium addit Rosarium , to-  
tus factus jam frugi. Jamque  
nuptiali mensæ assidebat Spon-  
sus factus , cum pensi quoti-  
diani a se eo die Magnæ Matri  
necdum persoluti memor , a  
mensa in conclave se proripit ,  
& jam ultimam fortasse Rosa-  
rii

rū decadem perorabat , cum  
tres in manu apparentis sibi  
DEI Matris vestes aureis lit-  
teris , velut gemmis , distin-  
ctas videt , & audit Virginem  
felicem mortem , atque adeo  
etiam cum morte cœlum sibi  
post triduum promittentem.  
Neque secus accidit , tertio  
enim post die , Virgo Sponsus  
ad nuptias Agni abiit cum  
obiit . Vis sequi ? Corona te  
Rosariis ante quam marcescant.  
ita comparebis in veste nu-  
ptiali coronatus . *Spec. Exempl.*  
*dist. 5. n. 59.*

7. Alphonsus Rodriguez S.  
J. 40. annis quotidie Immacul.  
Conceptionis B. V. officium  
recitabat , idque gratum esse  
B. V. ab ipsa Virgine sibi in  
Re-

Refectorio apparente intelle-  
xit, cuius etiam jussu Catalo-  
gum precum suarum quoti-  
dianarum conscripsit, & est  
iste: 1. Offic. Immacul. Con-  
cept. 2. Corona B. V. 3. Lit.  
Lauretanæ pro felici morte.  
4. 12. Salve Regina, & 12.  
Ave Maria, & hæc ad singu-  
las diei & noctis horas refere-  
bat in ejusdem intemeratæ  
Conceptionis honorem, ut  
eum sanctissima V. ab omni  
culpa servaret immunem. Cum  
B. V. sæpe suavissime collocu-  
tus, uter alterum, illane Al-  
phonsum, an Alphonsus il-  
lam tenere amaret magis, cum  
ea concertabat. A Christo,  
& B. V. hanc didicit precatiun-  
culam: JESUS, MARIA, mei  
dul-

dulcissimi amores ! Patiar ego,  
moriar ego vestri amore : ve-  
ster sim totus , & nullatenus  
meus , ac si nihil prorsus essem.  
Triduo ante mortem exstati-  
cus jacuit nil locutus , nisi  
aliquando intermortuis voci-  
bus *Ah ! JESU dulcissime ! o  
MARIA , Mater mea !* Ita ja-  
cuit clausis oculis, vultu An-  
gelico & rubenti. Claspsit ve-  
ro ultimum oculos Ann. 1617.  
illos oculos quibus jam ante  
Assumptæ Virginis triumphum  
spectaverat. Vis admitti ad  
idem spectaculum ? Oculos ad  
Immaculat. Conceptionis offi-  
cium quotidie persolvendum  
aperi , illicitis claude. *In vi-  
ta.* Et certe deliosum illud  
officiolum & piissimis affecti-  
bus

bus prægnans est , & felicem  
mortem vult quasi extorque-  
re a DEO per Virginem.

Per te Mater gratiæ  
Dulcis spem reorum;  
Fulgens stella maris ,  
Portus naufragorum.  
Patens cœli janua ,  
Salus infirmorum.  
Videamus Regem  
In Aula Sanctorum.  
Suplices offerimus  
Tibi , Virgo pia,  
Has horas Canonicas ;  
Fac , nos ut in via  
Ducas curfu prospero:  
Et in agonia  
Tu nobis affiste ,  
O dulcis MARIA!

---

## TERTIA PRAXIS FELICITER MORIENDI.

A Ve Maria , Salve Regina,  
aliasque preces constanter recitare.

I. S. Aibertus centies procumbens quotidie divini ad MARIAM Legati Ave iterabat , huic famenti B. V. Virginum phalange cincta panis bucellam sacratissimis manibus in os dedit , adeoque saturum bolo uno fecit , ut 20. post annis nihil potus , duobus vero & 20. annis nihil cibi ad miserit , semper licet sub cilio gemeret a summo capitis ad imum pedis. Et post tam

lon-

longam demum quadragesimam ipso Paschatis die corpus terræ, cœlo animam, jejunium & cilicum Sodalibus legavit. *Surius.*

2. S. Mechtildi Virgini B. V. Salutationem Angelicam explicuit. Docuit item, ut ter *Ave MARIA* cum tribus aliis precatiunculis pro felici morte quotidie diceret, id enim si faceret, recepit se illius morti ad futuram. A Christo ipso didicit modum B. V. salutandi, quæ etiam Mechtildem suam supremum decubentem solata est. Ita bona Virgo sanctissimo epulo ab Angelis recreata, animam illi dedit, cuius corpus acceperat. Qui saepe *Ave MARIAE* dixit quo-

quotidie in vita, non erit illi  
amarum *vale*, quod vitæ di-  
cere debebit in morte. *In  
vita ejus.*

3. S. Casimirus B. V. hono-  
ri suavissimum illum & ple-  
num tenerimis erga MA-  
RIAM affectibus, & jam quo-  
tidianum prope plerisque me-  
lioris notæ Sodalibus hymnum  
composuit: *Omni die dic MA-  
RIÆ mea laudes anima &c.*  
& dixit etiam quotidie, quo-  
cum etiam tumulari voluit  
Anno 1473. & cum eodem  
repertus est Ann. 1604. inte-  
ger integerrimus juvenis, eo  
enim morbo correptus, quo  
absolvi non possunt Virgines,  
Virgo mori potius voluit  
quam non Virgo vivere. Tu-

B ut

ut tam felix reddas animam  
DEO , omni die dicat MA-  
RIÆ tua laudes anima. In  
vita.

4. S. puer Salaunus non  
minus tenerrimo erga DEI  
Matrem affectu dives , quam  
opibus & ingenio pauper, adeo  
rerum omnium in Scholis fuit  
incapax , ut non nisi duo hæc  
verbula *Ave MARIA* caperet:  
quibus ipsis panem efflagita-  
bat vicatim domos circum-  
eundo. Indurata dein panis  
ita sancte duobus verbis cre-  
brius repetitis emendicati fru-  
stra in vicino Urbi fonte ma-  
cerabat , ibi , seu autumnaret ,  
seu hiemaret cœlum , humi se  
abjiciebat , licet terra glacie  
obriguisset. Ubi vero & ipse  
in

in glaciem se abire sentiebat  
semirigidus, in arborem ascen-  
dens prehendebat ramos , &  
librato saepius huc atque illuc  
corpo re, inclamatoque sexies  
Sacratissimo MARIAE nomine,  
in venas illi redibat calor , tum  
in aquas bruma fumantes se  
mergebat. Ubi vero felici  
morte ad perennis vitæ fon-  
tem abiit felix puer ; e sancto  
eius tumulo lily exurrexit,  
quod omnes, quas in Scholis  
unquam didicerat lectiones, au-  
ro inscriptas continebat: *Ave  
MARIA.* Ecce etiam stupidi-  
simis quibusque via per MA-  
RIAM ad bonam mortem &  
ad cœlum patet: nos vero in-  
geniosuli ad ista obstupesci-  
mus. *Raderus in Viridario.*

5. B. Aloysius Gonzaga e  
Marchione S. J. B. Matri ex  
ipso Matris utero devotus,  
quæ Aloysium voto ad Lau-  
retanam MARIAM facto feli-  
citer tandem enixa est, con-  
tra quam sperabatur. Flo-  
rentiæ decennis adhuc votum  
DEO Virginitatis perpetuæ  
vovit coram Florentina An-  
nunciatæ Virginis imagine; cui  
etiam Sabbatinum jejunium  
sacrum fecit. Taceo dulces  
illas lacrimas, & illos animi  
tterioris ardores, quibus ad  
auditum MARIÆ nomen suauissime  
colliquebat. Per gra-  
dus dum ascenderet, descendere-  
ret ve Ave MARIA dicebat parvus  
hic Angelus. A Sumpta Sanctissima  
Eucharistia ipso abeuntis  
in

in cœlos Virginis die, postea  
quam hospitem suum DEUM  
rogasset, ut per Sanctissimæ  
Virginis Matris preces & me-  
rita viam sibi salutis quam se  
ingredi vellet, ostenderet, vo-  
cem audiit: *Societatem Iesu*  
*ingredere*: quam ingressus,  
Angelum humi egit, & B. V.  
cum omnium virtutum sua-  
rum, tum puritatis & humili-  
tatis vel maxime, speculum  
esse & protectricem voluit. Vi-  
tam vero, quam se MARLÆ  
debere agnoscebat, morte in-  
nocentissima, cum diceret  
*Lætantes imus, lætantes imus,*  
&c. inter geminos suos amo-  
res JESUM & MARIAM con-  
summavit. Quam vero feli-  
citer, Anno 1600. 4. April.

Moniali cuidam revelatum est,  
quæ in excessu B. Aloysium  
vidit in gloria , & dixit : O  
quantam gloriam habet Aloy-  
sius filius Ignatii ! Nunquam  
credidissem, nisi id indicasset mi-  
bi JESUS meus , &c. Vide  
vitam. Vis eniti ad gloriam ?  
Nunc Aloysius in hoc amore  
esse vel perge , vel incipe.

6. Puer annos non plus de-  
cem natus audierat rem præ-  
clari meriti esse , si quis Vir-  
ginem Matrem ante inchoa-  
tum quodlibet opus salutet.  
Nunquam ergo ille quicquam  
aggredi , non prius mensæ ,  
non lecto , non lufui , non  
studiis aut rei ulli agendæ se-  
dare , quam his ipsis verbis  
**MARIAM** alloqueretur: *Salve  
Mater*

*Mater misericordiæ.* Et certe cum puer supremum vale teneræ suæ vitæ diceret moriens , adfuit salutata toties quotidie Virgo. *Ego sum , aje-  
bat illa , ego sum illa miseri-  
cordiæ Mater , quam tu toties  
salutasti.* Ita officiosum illum Ephebum & salutatorem suum, aulæ suæ Regina cœli asseruit. Si tria verba tantum possunt, tu adhuc eris inurbanus erga Virginem? *Ladspergius.*

7. Non nemo e Religiosis S. Augustini Canonicis cum in supremo suo lectulo formidandum, cui propediem sistendum erat , Judicem timeret, conspicuam sibi Matrem Agonizantium MARIAM habuit , & dicentem : *Confide, fili ; tu*

B 4                    mibi

nibi toties , & tanto affectu  
Salve Regina decantasti : fa-  
ciam, quod illic petebas quoti-  
dianis & assiduis precibus , &  
ubi te ex hac lacrimarum valle  
eduxero , advocata tua ero ;  
& JESUM benedictum fru-  
ctum ventris mei tibi ( nullas  
piaculares flamas passo ) post  
hoc exilium ostendam. Jo.Herd.  
de B. V. c. 89.

8. Martinus quidam , aca-  
tholicus licet , cum tamen in  
Concione Catholica audisset  
certum felicis mortis pignus  
esse, atque adeo eum male mo-  
ri non posse, qui B. V. devotus  
aliquot illius honori salutatio-  
nes Angelicas fervens diceret ;  
quotidie constanter septies  
mane, itidemque toties Vespe-  
ri ,

ri, atque interdiu sæpius Angelicam salutationem dicebat Virgini Matri, ut felix sibi obitus obtingeret. Impetravit, jam enim morti quam vitæ vicinior, salutatam quotidie Virginem aspexit præsentem sibi, quæ illum, ut Catholico ritu peccata Confessione elueret, & sanctissimum Viaticum acciperet, monuit: id ubi fecisset, futurum ajebat, ut pro quotidiana salute dicta æternam salutem consequeretur. Factum advertitis, Sodales, quam humaniter, imo quam divine salutantes se resalutet MARIA?  
e Psalterio Mariano.

9. Sandomiriæ 39. vel 49.  
e S. Dominici familia *Salve Regina* dum canunt occisi.

Noëte cladem illam antecedente Anagnostes Martyrologium diei sequentis lecturus videt aureis illic literis scriptum , *Sandomiriæ Passio 49. Martyrum, inspexere librum singuli , & sensim tandem evanuere characteres e libro & oculis; ergo die sequenti sub Salve Regina felici Martyrio cecidere victimæ , & Salve Regina dixere in cœlo Reginæ Martyrum. Tu ut in Reginæ Sanctorum omnium aulam post mortem admittaris, ora quotidie, Ann. Poloniæ.*



QUAR-

## QUARTA PRAXIS BONÆ MORTIS.

**E**tiam in studiis MARIE,  
& mortis meminisse.

I. S. Albertus Magnus in  
B. V. clientelam se adhuc par-  
vulus dederat: cuius etiam  
monitu S. Dominici albo se  
inscripsit. Huic fugam e mo-  
nasterio per scalas paranti ob  
ingenii defectum in studiis,  
obvia B. V. Philosophiamne  
an Theologiam exakte scire  
mallet? rogat: Philosophiam  
elegit. Ideoque, ob electio-  
nem secularis scientiæ, illi  
prædixit quod supremo ante  
mortem triennio rerum o-

mnium ignarus esset futurus iterum , tunc vero utraque illum scientia implevit , quam ille S. Thomæ Aquinati discipulo suo , aliisque pluribus communem fecit. Ad auditum MARIÆ nomen lacrimis diffuebat. Repente in Schola , veteri ignorantiae restitutus , rudis e Doctore , conticuit , & vixit demum triennio , neque diem ullum præterlabi permisit , quin sepulchrum suum inspiceret ac contemplaretur. *Inspice & tu , & fac similiter. In vita ejus.*

2. S. Edmundo JESULUS in Scholis assedit comes , a quo etiam edoctus est , ut J. N. R. J. vesperi imprimeret fronti quotidie contra repentinam mor-

mortem. Annulos duos habuit, in quorum lapillis B. V. annuntiata sculpta visebatur: eorum alterum B. V. digito, suo alterum inseruit Neo Sponsus. Literis absorptus Orationem illam: *o intemerata & in æternum benedicta,* &c. ad B. V. & S. Joannem dicere neglexerat, & noctu S. Joannem Evangelistam vidit sibi ferulam intentantem. Ante eburneam B. Matris iconem studebat die, & nocte. In Christi demum latus animam expiravit. O plures nobis Edmundos cœlum! plures MARIÆ studiosos haberemus!  
*In vita.*

3. S. Hermannus, Joseph a B. V. sponsa dictus, cor

B 7 suum

suum communem MARIÆ & Musis aram fecit, a qua etiam lapis illi ostensus est, sub quo pecuniam reperiret necessitati studiorum opportunam. Quoties supplex MARIÆ nomen venerabatur, divinis odoribus perfundebatur totus. Cum ad aram sacrum ficeret hie me, JESUS illi & MARIA manus fovebant, ne frigerent. Et nos vix ullibi quam in sacris frigemus magis. *In vita ejus.*

4. S. Josephus Poeta dum S. Bartholomæo carmen pararet, adfuit illi ipse Apostolus, & bene illi precatus, librum ejus pectori admovit. Tum vero Poeta non exprefsit e calamo, sed fudit versus  
ple-

pleno pectore. S. Theodorus  
cuidam ad tumbam suam sup-  
plici dixit omnes cœlites, ( sed  
& cœlitum Reginam. Virgi-  
nem) in quorum laudes vin-  
ctis in carmina pedibus abie-  
rat, morienti Josepho adfui-  
se. O Mœcenates ! Scribe  
**MARIAM**, scribe: & Sanctos  
Reginæ suæ junge: quantum,  
proh superi! quantum ad cœ-  
lum comitatum tibi parabis?  
*In vita.*

5. Alexander Bertius, infans  
adhuc, dormiens floribus a B.  
V. conspersus est. Febrien-  
tem aura florida recreabat ea-  
dem Virgo, & studenti aderat,  
librorumque pagellas una cum  
illo evolvebat. JESUM & MA-  
RIAM , geminas , & unicas  
suas

suas delicias , custodemque  
suum Achatem Angelum vi-  
dit æger , & ea demum mor-  
te sub ipso ad Virginem salu-  
tandam dato æris campani si-  
gno defunctus est, qua sanctissimus  
quisque defungi non  
immerito cupiat. Angeli a  
Virgine Matre missi corollam  
Victori Alexandro imposuere.  
Utinam plures centuplo Ma-  
rianus hic Alexander sequaces  
haberet, quam Pellæus ille ha-  
buerit ! Cœlo certe coronæ  
non defunt, quibus nos coro-  
net , modo terris non de-  
fint capita, quæ coronentur.  
*In vita.*



QUIN-

# QUINTA PRAXIS

## FELICITER MORIENDI.

**B**eatæ V. honorem apud  
alios propagare ; de ea  
sæpe colloqui.

I. S. Franciscus Xaverius  
ne insalutata Virgine abiret ad  
Apostolatum Indicum, Laure-  
tum primum abiit ejus salu-  
tandæ caufsa, ut divinos illic  
Spiritus ad magna terra mari-  
que agenda & ferenda conci-  
peret, ubi MARIA concepit  
DEUM. Post præceptum ali-  
quod Indis explicatum cum  
suis MARIAE accinuit : *Santa  
MARIA Mater JESU Christi,  
impetra nobis a Filio tuo , ut  
pri-*

primum ejus præceptum seruemus sedulo. Catechesin vero totam *Salve Regina* decantato claudebat. In Meliaporano templo noctu ad aram B. V. in preces postratus, & ab irruente cacodæmonum turba multatus pessime, *Domina*, inquietabat ad Virginem pugnæ suæ testem, *opitulare!* mibi non opitulaberis? Singulares saepius ab illa gratias impetrabat: & sacro illius honori facto dæmonem ab energume- no exegit. Denique vas fuit electionis, ut portaret gemina JESU & MARIÆ nomina coram gentibus, quæ jam pro Xqua, Cames, Fotoques, JESUM & MARIAM pronun- ciant; precarios Virginis glo- bulos

bulos familiariter tractant, inter quæ officia cum annos undecim gnavus operarius posuisset, supremum jam æger, JESU, ajebat, fili David, miserere mei. Mater DEI, memento mei, & pronunciatis saepius Sanctissimis JESU & MARIÆ nominibus, inter has columnas vitæ satis est dixit, & pretiosam tot Indicis gemmis, id est, pluribus animalium millibus animam æternæ malaciæ & portui impo- fuit, corpore Virgine integro. Tu illum ut portum salvis mercibus attingas, nava fine Malo. In vita.

2. Religiosissimus e S. Dominici familia Ecclesiastes pro Concionum suarum coronide unam

unam semper de B. V. narrationem attexebat. Ubi vero ultimum cœpit ad mortem decumbere , amarissimis absorptus lacrimis omnis omnino solatii incapax penitus videbatur. Sed MARIA , deliciosa illa afflitorum consolatrix , amarorem illum omnem & lacrimas sua præsentia cumulate abstersit ; & infuso in mœstissimum morientis pectus torrente dulcissimæ voluptatis , cum illo sermones admirabili suavitate miscebat , quare *Bene , bene Dominam suam charissimam advenisse* repetebat æger sæpius , plenus intimæ voluptatis : illam ad considendum invitabat crebrius ; & tandem in cantum erumpens

pens *Tu*, cantabat, tu *Theophilum* desperantem apostatam *reduxisti*, & *revocasti ad gratiam*, quo cantu sæpiuscule iterato, post breve silentium, in hæc lætior erupit: *Congaudent Angelorum chori gloriosæ Virgini!* & cum diceret: *Omnis Spiritus laudet Dominum*, spiritum ad laudandum æternum Dominum emisit. Ita qui *Conciones* cum MARIA cludebat, cum MARIA clausit & vitam. Si tu ita tuam clauferis, cœlum tibi apertum est. *Spec. dist. 7. n. 56.*

3. Antverpiæ Sodalis Poeta a parente plus quam tricies & frigore rigidus, & madidus fletu nocte intempesta inter precandum in somnum

la-

Lapsus in lectulum repositus est. Ultimo vitæ quadriennio jejunium Sabbatinum servabat constans, a Confessione redux ad materna genua supplex erratorum veniam petebat. Sanctus puer in agris circumquaque audiebat, cum rusticellos ad Rosarium, ad MARLÆ cultum, ad confessionem, ad omnem denique pietatem additis etiam piis præmiis, erudiret Marianus Catechista factus. Cum vero æger jam decumberet, nunc pro Patre Scholarum Præfecto, nunc pro Magistro, nunc pro aliis aliisque suos se offerre dolores testabatur, & tandem impetrata a Confessario, quam biennio jam petebat, licen-

centia se Virginī Matri Afperi  
collis devovit in Virginem.  
Nono ante supremum die,  
B. Aloysii reliquias tenerime  
exosculatus, Jam, inquietabat,  
*scio vere aut B. meum Aloysium*  
*nonum abhinc diem, si animæ*  
*commodo fuerit, corporis in-*  
*tegram valetudinem mibi a DEO*  
*impetraturum; aut morienti in*  
*ultimo periculissimoque confli-*  
*ctu strenuum fore adjutorem.*  
Ita factum, cum nono post  
die B. Virgo Catechistam suum  
& Poetam jussit ad eandem,  
in qua jam Aloysius erat, clas-  
sem ascendere, & quidem  
cum præmio. Ascendes &  
tu, & feres præmium, si unus  
fueris e diligentibus. Annuae  
1610.

4. *De P. Theodorico Canisio*  
S. J. res forte non æque nota omnibus. Is enim affectu dulcissimo de JESU suo , deque sua MARIA frequentius collocutus adeo eorum sibi memoriam impressit , ut apoplexia tactus , admirabili rerum omnium oblivione absorptus JESU tamen , & MARIÆ recordaretur. Nec legere aliud, nec dicere norat , quam JESUS , MARIA , si quem vocaret , oblitus nominis , JESUS dicebat , vel MARIA. Ingolstadii Ann. 1604. 27. Sept. unctus ad agonem contentissimo clamore exclamavit : *In cælum , in cælum ! JESUS ! MARIA !* Jamque anima erat illi præ foribus, ut abiret , cum colle-

colle<sup>ct</sup>is virib<sup>us</sup> JESUS pro-nunciat: cum vero MARIÆ nomen integre eluctari non posset, jam MARI dixerat, ultimæ syllabæ impendit Spiri-tum, & ut impleret nomen integre, pro A animam integerrimam dedit, & dulci MA-RI immersit. *In vita.*

---

## SEXTA PRAXIS FORTUNATÆ MORTIS.

**G** Annam, S. Josephum,  
**S.** S. Barbaram, & alios B.  
V. amicos & devotos colere singulariter.

1. Bizuntii Sodalis senex prope secularis ubi se ad por-

C tam

tam mortis, qua e vita prope-  
diem exiturus erat, sensit, in  
amplexus Patris, in cuius au-  
res omnes ætatis tantæ inacu-  
las deposuerat, irruens, ita  
lætus ingeminat: *DEO sit laus!*  
*Mutuis fruemur in cælo ali-*  
*quando amplexibus: reposita est*  
*spes hæc in sinu meo.* Sanctam  
Synaxim tamen differri jubet  
in crastinum (S. Annæ, cuius  
ob MARIAM filiam totus erat,  
dies is fuit) quo die, famulo  
& scipione adjutus, in Colle-  
gii S. J. templum, ægre qui-  
dem ossibus ac pedibus hæ-  
rens, perreptavit tamen, ibi-  
que DEUM itineris jam im-  
minentis Ducem & Comitem  
accepit pro viatico. Ubi vero  
domum rediit jam lætior,  
men-

menstruas Sanctorum suorum e Sodalitio acceptorum schendas secum in fasciculo tumulari præcepit ; & illigato manibus Rosario Mariano , ætatem cum æternitate , centum annos cum die æterno commutavit bonus senex. Disce a veterano , tyro miles , armatus mori. An. 1608.

2. B. Stanislaus Kostka nunquam e manibus libellos pios , aut Rosarium deponebat , & saepe in Scholasticarum etiam exercitationum argumentum laudes B. V. assumebat : S. Barbaræ V. & Martyri , singulari plane clientum suorum , ne sine Sacramento excedant , Patronæ , devotissimus : qua etiam præsente Viennæ Austriae æger

Sanctissimam Eucharistiam accepit ab Angelis. Sed & MARIA se illi visendam dedit, & JESUUM parvulum in felicissimo Stanislai lectulo collocavit. Quam velles te fuisse lectulum, qui haec legis, inter has Stanislai JESUUM avidissimis oculis aspicientis, IESUO tenerrimis amplexibus inherentis delicias ! Ita morbo fugato plenus divino nectare Stanislaus sibi relictus est. Jamque Societati IESU adscriptus, quoties angelica oratione Virginem avere jubebat, fundebatur in lacrimas memores illas procul dubio etiamnum lectuli Viennensis. Usque adeo vero plenus erat altissimis quibusdam de MARIA sensibus,

ut

ut initio cum aliis Mariano certamine quis magnifica magis , quis magis tenera Virgini laudandæ epitheta reperiret & titulos , vinceret ille quidem alios , se tamen nunquam vel assequi vel explicare posset sat. An MARIAM amaret rogatus , Pater , inquit , est mea Mater , quæ Mater morienti filio Stanislao adfuit , cum ille suavissimas DEI morientis plaga.s , atque illam etiam , quavale ns utebatur , B. V. iconem dissuaviatus avide , & amplexus , ubi JESUM ! & MARIAM ! invocavit , a JESU , & MARIA in cœlos assumpta una evocatus est Roma ad cœlum . Nos vero toti jacemus humi , neque exur-

C 3 gi-

gimus, dum vocamur. *In vita.*

3. P. Balthasar Alvarez S.J. adhuc Novitius, B. V. officium adeo incenso erga divinam Matrem affectu recitabat, ut dæmoni moveret rabiem, qui post horridas tentationes semper vietus Victori Novitio Balthasari apparuit & dixit: *Remitte tu, & ego remittam: præcipue ut istam devotionem dimittas, quam babes in istam mulierem, quam MARIAM appellant.* At Balthasar contra semper audentior ivit & ardentior. Videtis, Sodales, cui gratiam faciatis, cum preces Virgineas omittitis: B. V. M. imaginem secum habuit semper, in quam unicam

cam quadam vice septem ho-  
ris defixus corde & oculis hæ-  
sit. Ante mortem fassus est,  
se a B. V. monitum, ut S. Jo-  
sepho singulari affectu devo-  
tus esset. S. Theresia V. hunc  
ad gloriam eminentem præde-  
stinatum esse intellexit divini-  
tus. Eodem ipso quo sanctissime  
animam edebat tempore,  
Burgensis Monialis revelatio-  
nibus frequentibus admiranda,  
dici sibi inter precandum au-  
diit: *Veni, ut intersis morti cu-  
jusdam fidelis mei servi,* & ad  
P. Balthasarem morientem spi-  
ritu abducta, ambientes ægri  
lectum Sanctos, & Angelos  
luce plurima circumfusos vi-  
dit, qui prehensa ægri manu  
stantibus in coronam aliis feli-

cem Balthasaris animam ad cœlum musicos inter modulos abduxere ; manentibus ad cadaver Angelis geminis cum thure & unguento. Illa Episcopi cuiuspiam animam credebat ; sed revelatione didicit animam esse P. Provincialis S. JESU Provinciæ Toletanæ. Is vero erat P. Balthasar. Officii nimirum erga illum sunt Sancti & Angeli, qui erga Sanctorum & Angelorum Reginam se præstat officiosum. *In vita cap. 53. §. I. & alibi.*



S E P T I M A P R A X I S  
B E A T Æ M O R T I S.

**E**mpla, altaria, imagines  
**L** B. V. honorare singulari-  
ter & Angelo Custodi devo-  
tum esse.

I. S. Franciscus Seraphicus  
divinam Matrem incredibili  
amore complexus, erga tem-  
plum S. MARIÆ a Portiuncu-  
la præ omnibus mundi locis  
afficiebatur, ibi Sanctitatis ty-  
ronem egit, ibi profecit, ibi  
consummavit apicem: illum  
suis filiis quam commendatissi-  
mum voluit: ibi mori petiit:  
illic ejus cor Angelicis mani-

C 5 bus

bus deportatum reconditum  
jacet. *Chron. S. Francisci.*

2. S. Hedwigis Ducissa iconem Deiparæ secum semper habuit, eaque ægrorum capitibus imposita morbos plures abegit. Eandem præ oculis habuit moriens, usque dum illos beata morte clauderet. Morientem S. Thecla, Catharina, & Virgines aliæ ad cœlum comitatæ sunt. Sed nec a morte avelli ex ejus manibus Deiparæ imago potuit: multis enim post obitam mortem annis inventa illa est inter primores tres Hedwigis digitos, eosque penitus incorruptos. Tu idem age: & in fine non corrumpes. *Surius.*

3. S.

3. S. Carolus Borromæus  
Card. flexis quotidie genibus  
orabat B. V. Officium & Co-  
ronam, in festorum Deiparæ  
pervigiliis pane & aqua con-  
tentus vixit. Si a dato ad  
Virginem salutandam signo in  
via eques deprehendebatur,  
equo defiliens, etiam in lutu-  
lenta via MARIAM de geni-  
bus salutabat: ejusdem imagi-  
nes singulis Ecclesiarum Paro-  
chialium foribus superpone-  
bat; & author suit singulis,  
etiam militibus, ut nunquam  
non secum haberent aliquam  
Sacratissimæ Dominæ, Matris  
nostræ imaginem; diem nul-  
lum abire sinerent, quo illius  
honori Officium & Coro-  
nam non persolverent. Ean-

C 6 dem

dem pro felici e vita exitu  
precatus quotidie, pro animæ  
suæ testamento ex testamen-  
to Christi, ut B. V. mediatrice  
tria sibi concederentur, roga-  
vit : 1. Lacrimosus aspectus,  
& dolorosum suspirium Chri-  
sti morientis. 2. Unum ex  
dolorosis suspiriis & lacrimo-  
sis aspectibus & gemitibus cor-  
dis MARLÆ sub Cruce Filii  
stantis. 3. Ut in Angelo DEI  
sibi Virgo succurreret in eo  
mortis articulo, quando cor  
ejus rumpendum, & anima a  
corpore separanda erat. Et  
impetravit. Tu si Carolus mo-  
ri vis, Carolus vive. *Vide  
vitam.*

4. Virguncula Pastoris filia  
cum inter pascendum gregem  
sæpe

sæpe ad neglegatum quodpiam  
B.V. templum diverteret, ob-  
soletam vetustate & neglegtu-  
mam Deiparæ imaginem videns, o  
*Regina cœli*, inquit, quam  
ego te misere cultam aspicio!  
Nec est, unde te vestiam egen-  
tissima: sed faciam tamen, ut  
precibus te meis (quandoqui-  
dem auro per paupertatem non  
licet) exornem quam possum  
pulcherrime. Atque hoc fer-  
vore annos plures in ardenti  
erga Virginem nostram pieta-  
te posuit, usque dum morti  
succubitura decumberet. Et  
jam stramini mortuali incum-  
bentem primus earum Virgi-  
num chorus, quarum, dum  
viverent, media cælibatum  
inter & Matrimonium nuta-

bat Virginitas , invisit : alter vero priore candidior illarum fuit quæ Virginitatem voto firmatam & quasi obseratam cœlo intulerunt sine macula : tertius demum priorem , utrumque gloria antecessit , earum quæ Virginitatem & voto firmarunt , & sanguine virgine purpurarunt . Nec defuere Virginum amici Angelii cum Regina Angelorum & Virginum , quæ imposito Virginis expirantis capiti ferti , divina quadam melodiam evocatam e corpusculo Virgineo animam inter accinentes Virginum & Angelorum choros cœlo intulit . Talem se & tibi Virgo præstabit , qualem tu te illi præstiteris . Spec. dist. 9. n. 118.

5. S. Philippus Annunciatam Servorum B. V. ædem Florentiæ ingressus , dum illa ex Actis verba audit : *Philippe, accede, & adjunge te ad currum istum, Beatissimam DEI Matrem in curru aureo stipatam Angelis ab ove & leone trahi , & nigram sibi ab ea vestem porrigi vidit , & ejus monitu Servus B. V. factus est.* Arretii cum fame ultima Socii premerentur , ante Virginis Beatæ iconem supplex factus , duas sportas panibus candidissimis onustas abstulit. Florentiam e Germania redux , in templo B. V. ante aram abjectus in genua exclamavit : *Hæc requies mea , & quievit.* Labora & tu ut servus MARIAE ,

RIÆ , certa est merces : requiesces in pace. *Ex Fastis.*

6. S. Elisabeth Andreæ Regis Ung. filia Sophiæ filiæ suæ B. V. aliquot statuas dedit , quarum una postea Vilvordiæ **Consolatrix dicta** , Hallis altera , aliæ alibi miraculis stupendis claruere. *Lipfius.* Juvenem impuro igne candentem divinis ignibus orando usque adeo calefecit , ut ille igni meliori ferendo non esset , jam emoritus , nisi ignes cælites Elisabeth temperasset. Quam optandum foret , ut pro Soda libus nunc Elisabeth peroraret ! Nongentis quotidie pauperibus ancillata non prius vivere desiit , quam Christum videret , qui Elisabethæ morienti adstî-

adstitit pro iis, quæ JESU quæ  
MARLÆ honoribus devoverat  
obsequiis. Sed & sub avium  
specie cælites pæana morienti  
cecinere. Bonis avibus præ-  
volavit. Nos tardi sequimur,  
quia plumbeas pennas geri-  
mus, graves corde. *In vita.*

7. B. Franciscus Borgias S.  
JESU quotidie ad B. V. fiebat  
Supplex vesperi, ut per eam  
dignum Christo in Eucharistia  
latenti locum in corde suo  
præparet recipiendo ; recepto  
vero dignas gratias redderet.  
B. V. imagines e prototypo  
S. Lucæ depictas per Societa-  
tem dispersit paſſim. Quo-  
ties vero ejus imaginem in-  
tuebatur, solebat dicere: *Mi-  
hi Virgo hoc onus ( JESULUM )  
gestat :*

*gestat: mihi lac Matris, mihi  
Filiū bullit sanguis.* Neque prius  
Romam æger ultimum devehī  
voluit, quam Laureti B. V.  
Matri iter suum, quo se ad  
Æternitatem accingebat, serīis  
lacrymis commendaret. Et pro-  
fuit commendasse: Roma enim  
ad superos abiit ea via, quam  
sibi & Christi sanguine cruen-  
tam, & Matris lacte lacteam  
effecerat, Hac itur! *In vita.*

---

## OCTAVA PRAXIS FELICIS MORTIS.

**D**ominicis & Festis, potis-  
simum B.V. diebus, con-  
fiteri, communicare.

I. Lo-

I. Lovanii Sexagenarius nobilis Virgo , Virginis Matris veteranus in Sodalitio cultor , ubi ad extrema vitae venit , Bene , inquit , habet , Sodales : quæ duo semper mihi fuerre maxima vitae præsidia , nunc sentio quam vera sint , quam solida morienti solatia . Unum quod Sodalis ( scio quam indignus ! ) Dominam tamen & Patronam meam supplex colucrim : alterum quod Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum diebus Dominicis omnibus , & Sanctorum Festis frequenterim . Ita plenus fiduciæ & tem morte clausit , & lacrymas illis , qui hæc viderunt , tibi , qui hæc legis , optimum te ad mortem præparandi modum

dum pro mnemosyno reliquit.  
*Ann. 1604.*

2. Bruxellensis Parthenius  
divinæ mensæ quot hebdoma-  
dibus semel hospes agebat su-  
premium animam , & cum  
**MARIAM** divino lumine ami-  
ctam videret , *Videte* , ajebat  
ad Sorores , *videte* , *Sorores*  
*meæ* , *gloriosæ Virginis pul-*  
*chritudinem* , *videte venusta-*  
*tem*. Ita pulcherrimam ani-  
mam Matri pulchræ dilection-  
nis dedit , ut & tu tam pul-  
chræ dilectionis dilectus filius  
esse inciperes. *Ann. 1607.*

3. E Bononiensi JESU &  
**MARIAE** Sodalitio adolescens  
ad Sodalitatis Præsidem ita re-  
penre lacrimatus potius quam  
locutus est: *Vitam cum melio-*  
*ribus*

ribus iroribus ut commutem, stimulos sentio singulares, mi Pater; tu consilium quam optimum suggere, & quoddam quasi salutis compendium, ec quis enim scit, an non mihi paulo post subito ac repentino mortis generc sit obeundum? Laudat calentem animum, verba, & lacrimas Pater, & author est petenti consilium, ut frequenti conscientiae exomologesi, & Sacratissimae Synaxeos epulo se reficiat in Dominicos festosque di s singulos. Jamque id, quod audierat, agebat Sodalis mensam alterum, cum festo quopiam die domo abit incolumis, sacratissimoque manna pastus, sacro, concionique interest, inde

inde in Xethodochium abit in  
singulos egenos rogatores li-  
beralis , itaque semidiem ex-  
eget in divinis , sed domum  
dum revertit , in ipso domus  
ingressu repente , dum divinissi-  
ma JESU & MARIÆ nomi-  
na , velut admissionis tesseras  
pronunciat , ad domum æter-  
nitatis ingreditur. Subitanea ,  
sed non improvisa mors. Tu  
tibi de bona morte provide.  
Quid si hodie non decumbas ?  
quid si te in gradibus , in pla-  
tea , in lecto , in mensa Mors  
expectet ? *Ann. 1608.*



---

## NONA PRAXIS BONÆ MORTIS.

**B**eat. V. imitari in Officiis humilibus , in modestia &c. erga B. V. liberalem esse.

I. E Colonensi Parthenio adolescens Sanctorum & imaginibus & cultui devotissimus **MARIAM** tantum in morbo loquebatur. Proximo itaque ante mortem die evocatæ ad se Matri narrat , sibi Matrem Virginem cum parvulo in brachiis **DEO JESU** , & Angelo ministro visam esse , se ab iis avocari. Supremas ergo preces adhibet , ut flosculos ope-  
re

re plumario acu pietos ad Congregationem B. V. mittat donum filii morientis. Altero demum die in eam, ubi divinum spectaculum viderat partem conversus, ridenti similis eo, quo avocabatur, abiit. Avocaris & tu quotidie, sed surdus. Hodie ergo si vocem ejus audieris, noli obturare autem tuam. *Annuæ. 1586.*

2. Musa proba cæteroquin, sed levis nonnihil puellula nota B. V. inter plures Virginulas albis vestitas vidit, & quærenti, an Mariano illi gynææo adscribi vellet, velle se respondit, futurum id 30. post diebus ajebat Deipara Mater, si tamen mores graviores induita Musa, jocos, & puella-  
res

res nugulas cum nucibus abjiceret. Fecit Musa: & trigesimo post die invitatur ad cœlum a Virgine & choro parvularum; cumque responderet: *Ecce Domina, venio!* *Ecce, Domina, venio!* abiit cum MARIA. Modestia virtutum vestis est: hanc indue, & vestem nuptialem habes pro Agni nuptiis. S. Greg. *dial.* l. 4. c. 17.

3. S. Guido puer, templi Mariani ædituum egit, nunquam nisi inter orandum lætus. Anderlaci cum ex morbo decumberet, columba ad eum multo lumine corusca devolavit, & vox audita est: *Veni dilecte mi, accipe coronam.* Ecce Guido MARIÆ D us-

usque ad aras amicus fuit,  
MARIA Guidonis usque ad  
cœlum. Surius.

---

DECIMA PRAXIS  
QUAM OPTIME MORIENDI.

Sabbathum singulari devo-  
tione colere, & mortifi-  
cationes aliquas in honorem  
B. V. suscipere.

I. S. P. Ignatius Soc. JESU  
parens MARIE pleno asse de-  
votus totus cum ante B. V.  
imaginem prostratus noctu se  
Filio per Matrem offerret, cu-  
biculum repentino motu a fun-  
damentis concussum est, alia  
nocte adfuit MARIA Ignatio,  
&

& longo spacio se illi una cum  
Filiolo spectandam dedit, adeo-  
que omnes seculi imagines ab-  
stesit e mente Ignatii, ut al-  
tissimo & perfectissimo quo-  
dam modo puritatis illi do-  
num contulerit, quam etiam  
puritatem voto *coram Sacra-  
tissima Virgine MARIA* firma-  
vit Ignatius. Jam vero in  
monte Serrato præmissa gene-  
rali vitæ totius confessione,  
novam orsus militiam, ad DEI  
Matris aram nocte integra vi-  
gil *pervigilium armorum* fecit,  
& gladium, &c. ad aram Vir-  
ginis anathema nobile appen-  
dit magnus Tyro factus mili-  
tiæ melioris. Horarias Virgi-  
nis preces persolventi Sanctissi-  
ma Trinitas admirabili lumi-

ne se infudit, adeoque affecit implevitque totum Ignatium, ut toto eo die ne palam quidem oculos prohibere ab effusis lacrimis posset, nec tantum gutta contingebat guttam, sed fluebant oculi. Sabbathorum sanctissimus observator, unde, raro plane exemplo, quodam Sabbathi die sub Completorii horam in extasi extra se positus ita semi-exanimis jacuit prodigio admirando ad alterius usque Sabbathi completorium: quo demum tempore JESUM, JESUM, ac MARIAM ingemindans sibi & mortalibus restitutus est. Sed & primam DEO hostiam in B. V. ad Nives templo ad Christi praese-

pe

pe obtulit novus Sacerdos. Beati simam Deiparam habebat quasi a consiliis, præsentem sibi saepius: neque illa inconsulta quicquam aggrediebatur. Unde MARIAM, teste P. Laynez, veluti præcipuum instrumentum elegerat DEUS ad juvandum Ignatium. Et certe illi nec MARIA defuit, cui JESUS cum Cruce apparens se Romæ propitium fore diserte promiserat. Et adfuisse Exercitia spiritualia componenti patet ex vita P. Balth. Alvarez c. 43. ubi Gabriel Archangelus MARIAM Ignatiorum Exercitorum Magistrum fuisse affirmat. Atque ita devotissimam DEO Deique Matri animam tot filiorum

ruin parens Ignatius placidissime, sanctissime cœlo dedit, nam & eodem ipso tempore quo ille Romæ expirabat, Bononiæ nobilissima sanctitate & sanguine Matrona ejus animam cœlo inferri vidit ab Angelis: & cum postea sancti illius corporis ossa e priore loculo in alium transferrentur, in uno Ignatii sarcophago omnium & aures, & nares, & oculi suas invenere delicias, audito illic concentu Angelico, & miris haustis odoribus, & stellis etiam in tumba Ignatiana apparentibus. Sed ut vel a mendacii Patre id, quod verum est, audiamus; an. 1600. Mutinæ pertinax in energumenæ dæmon jam plures fatigarat;

garat: sed ad sanctum Ignatii nomen excedere coactus est, cum Ignatium primo irride-ret quidem, demum vero clamaret: *S. Ignatius! S. Ignatius!* *S. Ignatius* me ejicit ob suam humilitatem & potentiam, & ob singulare studium, quo is vivus ardebat in Sanctissimam Virginem. Ribad. Maff. Biderm. in vita.

2. S. Nicolaus Tolentinus auditis in templo his verbis: *Nolite diligere mundum, &c.* e Canonicō, Augustinianorum Albo se inscripsit, animarum purgatorii Patronus, & MARIAE cliens plane singularis. Etiamnum infans ter quod hebdomadis etiam a lacte jejunus mansit. Sex ante mor-

tem mensibus Angelicos concentus sub noctem audivit quotidie. Morienti adfuit obvia Virgo Beata cum S. Augustino, inter quos vivere desit. Stella vero caelo delapsa super mortui tumulum stetit. Solem forte indicabat occidisse. Tu vel nunc aliquid eorum incipe quæ Nicolaus etiamnum infans fecit. *Surius.*

3. S. Thomam Cantuariensem Episcopum cilicium quod Sabbathina, & crebra alias gestatione lacerarat, reficientem juvit B. Virgo; & refecit ipsa. Quæris qua morte ceciderit? Illa qua melior nulli est. In Anglia in templo jugulum gladio dedit Martyr, iamque jacens in feretro omnibus benedi-

nedixit. Adfuissetemus & nos,  
Sodales! At benedicet & nos,  
& MARIA & Thomas si plu-  
ra cilicia ipso usu laceraveri-  
mus: MARIA reficiet. *In vita.*

4. P. Petrus de Anasco e  
S. J. periculosoire morbo de-  
positus, Virginem Beatam,  
& in ejus sinu infantem par-  
vulum vidi, quæ valetudinem  
ægro restituit, ut Soc.  
ingrederetur, imperavit. Sin-  
gulis Sabbathi diebus, quibus  
ad honorem Deiparæ jejunare  
consueverat, præcipuum ali-  
quod a DEO beneficium ac-  
cepit. *Hæc me*, inquit, *id*  
*est B. V. ad Societatem addu-*  
*xit; in eadem conservavit.*  
Christi & B. V. visam semel  
effigiem altissime impressam

D 5 gere-

gerebat in mente , ad quos  
clarius aspiciendos Anno 1603.  
12. April. abiit. Tu erga Vir-  
ginem te liberalem exhibe , &  
illam erga te liberaliorem ex-  
periere , nihil transibit sine  
præmio singulari. *In Annuis.*

5. P. Joannes a Campis S. J.  
B. V. Rosarium manibus tere-  
bat assidue. Nullum diem  
Sabbathi vacuum abire sine-  
bat, quin aliquam de B. V. hi-  
storiā narraret. Sub mor-  
tem ad quendam conversus,  
*O si nosſes , inquit , mi Pater ,*  
*quantum in morte afferat ani-*  
*mo solatium Deiparam singulari*  
*ſtudio coluisse!* Et hoc tu fo-  
latii negabis tibi morienti ?  
*Kal. Marianum.*

UNDECIMA PRAXIS.  
FELICITER MORIENDI.

**B**eatæ V. & Angelum tutelarem pro felici morte quotidie invocare: se ad mortem parare quotidie.

I. Eskillus duodecennis puer lethali morbo lecto affixus sensibus exemptus jacuit diutius; ac sibi tandem restitutus resedit in lectulo, & voce in lætitiam explicata exclamavit: *Benedictus DEUS! Ego liberatus sum; & amplius non ardebo!* Rogantibus quid hoc miraculi sibi vellet, nihil reposuit, quam unum illud suum: *DEO gratias! amplius non*

*non ardebo. Gratias ago tibi, sancta MARIA, quoniam de incendio liberasti me, & amplius non ardebo.* Ac tandem ad ardente clibanum se ductum addidit, inde Palatium Regium ingresso sibi vi-  
sam cœlorum Reginam in throno gloriæ residentem, a qua loco egredi, & ad æternos ignes abire jubebatur: ea-  
que de causa indignum, pro quo Virgo Mater intercederet, judicatum, quod cum inter vivos ageret Ave MARIA ne semel quidem dixisset: veniam se tamen postea partim suis lacrimis partim aliorum Vir-  
gini adstantium precibus ac intercessione impetrasse; atque ita ab æterno igne libe-  
rum

rum ad corpus iterum rediisse. Vixit deinde , primum quidem Archiepiscopus : sed cum Cisterciensi cucullo infulam , & vitam demum bonam cum morte optima feliciter commutavit. Age si te amas, Sodalis optime , & hodie ad horas singulas *Ave* dicere Virgini incipe , ut Indulgencias & bonam simul mortem lucreris. Senties illa hora te modicum hoc operæ horis singulis non sine pretio posuisse.  
*Spec. exem. dist. 3. n. 32.*

2. S. Ludovicus Caroli Siciæ Regis filius in salutanda Virgine Matre cum in vita omni, tum in morte potissimum frequentissimus & ferventissimus, causam , cur il-

lam toties & toties salutaret,  
rogatus, respondit in hæc ver-  
ba: *Morientem illa juvabit me!*  
Et juvit: cum enim morere-  
tur Ludovicus, inter Ange-  
lorum manus in cœlos visus  
est inyolare: quo etiam ipso  
tempore has terris voces de-  
dit cœlum: *Sit fit servienti  
DEO in mundicie & puritate.*  
Saluta, saluta frequenter Vir-  
ginem: causa in promptu est:  
*Morientem illa juvabit te.* Li-  
peloo.

3. Ferdinandus II. Anno  
1618. i. Julii Mariana Unga-  
riæ corona redimitus is fuit  
erga Virginem Matrem, ut  
voverit, se omnem operam  
positurum ut felicissima olim  
sub B. V. ope Ungaria in flo-  
rem

rem iterum pristinum quasi postliminio revertatur. Anno Christi 1619. B. V. Mater Joanni Suicardo Moguntino Archiantistiti Electori ita praesens dixit : *Constanter age, Suidarde; noli timere, elige Ferdinandum.* Ita in Cæfarem electus est MARIÆ calculo, quam ille tenerrimo pectori fovit semper adeo ut nullum prope Marianum Album Augustissimo suo nomine vacuum reliquerit ; Lauretum, Oettingam, Cellas peregrinus abierit ; MARIAM vexillis bellicis inscripserit ; ejus iconem Aquilæ loco imposuerit ; Generalissimam belli Catholici Bellonam dixerit : injuriarum ejus ultor acerrimus, ejus gloriæ pro-

propugnator admirabilis , Immaculatae Conceptionis tantus & Filius & Patronus , ut festum eum diem Ferdinandeæ hæ partes jam habeant , Ferdinand II. apud Urbanum VIII. id procurante . Potentissimus denique apud MARIAM Orator , utpote qui ultro dixerit se ab ea nihil , quod non impetrarit , petuisse . Sanctam ejus mortem quotidiana ad ultimum agonem præparatio antecessit : prius quam enim cubitum concederet , horam dimidiam dabat præparationi ad mortem , quasi ea nox illi diem ultimum clausura esset , inde B. V. & Angelum custodem pro felici morte precabatur . Officium B.V.

Coro-

Corona, Litaniae Lauretanæ,  
& eæ quæ ex S. Scriptura de  
B. V. desumptæ sunt, quoti-  
dianæ illius preces fuere, præ-  
ter alias. Nocte excitatus in  
hæc erumpebat: *MARIA Ma-  
ter gratiæ, Mater misericor-  
diæ, Tu nos ab hoste protege,  
& hora mortis suscipe. Mon-  
stra te esse Matrem.* Et mon-  
stravit certe, suscepitque Fi-  
lium Mater, quando, redu-  
ctis jam ante in sinum Eccle-  
sæ centies centenis animarum  
millibus, in eodem Virginis  
Matri sinu, Rex vere Maria-  
nus, vere Apostolicus Impera-  
tor sanctissimus dignam tali vi-  
ta mortem obiit cum DeCIMa  
qVIInta febrVarII VIennæ eX-  
plIraVit. In vita parte 4.

DUQ-

---

## DUODECIMA PRAXIS BE NE MORIENDI.

**E**clices aliorum B. V. additorum e vita exitus frequenter legere; DEUM, Deiparamque de iis laudare, amare.

1. Religiosus non nemo in extremis positus clamabat: *Maledicta hora, qua Religiosus factus fui!* At serenatus post paulo, *Imo benedicta*, inquit, *hora, qua intravi ordinem, & benedicta Mater Christi, quam semper dilexi.* Tum rem omnem ad lectum adstantibus exponens explicatius, ajebat dæmones ad se rapiendum advenis-

venisse usque adeo horridos  
visu & forma, ut ab ea, qua  
hæc agebantur hora, ad extre-  
mum usque mundi cessantis  
quadrantem diceret malle se  
per ignem ære & sulphure  
colliquatum transfire, quam  
illos iterum aspicere ( heu! si  
illos vel paullulum aspexisse  
tam horrendum est, quid erit  
cum illis æternum habitare in  
ardoribus sempiternis? ) Ac  
tandem Reginam sibi gloriæ  
adfuisse addidit, quæ fugatis  
dæmonibus plenum se solatio  
reliquisset. Ita vixit! Bene-  
dic nunc sæpe MARLÆ, qui  
enim illi benedixerit, erit be-  
neditus. Sæpe illi advolvere,  
& dic: *Benedic Mater. Specul.*  
*dift. 9. 22.*

2. Adulpho e Principe S. Francisci asseclæ morienti & trepido comitibus Angelis cincta Virgo Deipara. *Quid times, inquit, fili? aut cur ob imminentem mortem angeris?* *Veni securus; quoniam filius meus cui fideleiter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ,* Platus.

3. P. Ignatius Azebedeus S. J. cum ad Gentium conversionem abiret, ubi piratas adesse vidit, sumpta B. V. in manus iconem Socios ad mortem pro JESU fortiter opptendam exhortatus, sacram illam iconem fortissime tenuit; ac frustra e manu illam extorquere conantibus piratis, unum in capite, tria in pectore vulnera accepit, datus postea in Ocea-

Oceanum præceps , nec sub-  
sedit statim corpus , sed quo-  
ad oculi aliorum sequi pote-  
rant , elato brachio iconem B.  
V. ostendebat , cui nisi nobis ,  
Sodales , ut sciremus ubi &  
quomodo discere debeamus  
feliciter mori! *In vita B. Bor-  
gia.*

4. P. Emmanuel Fernandez  
S. J. Prophetæ spiritu clarus  
quendam monuit , ut signum  
Crucis circa locum quendam  
efformaret: illic ostentaret se  
voluisse ajebat cacodæmonem ,  
sed a Deipara repulsum. Tum  
quoad poterat elatis intermor-  
tuis vocibus: *Ab! sanctissima  
Domina , sanctissima Domina  
mea ! Video , inquit ad Socios ,  
sacratissimam DEI Matrem di-  
vina*

*vina pulchritudine admirabilem!  
Sinite me abeuntem sequi. Se-  
cutus est, & tu sequere. In  
annuis.*

5. P. Joannes Gerardinus  
Anno 1606. moriens ita sa-  
cratissimam Virginem compel-  
lavit. O MARIA, tribularer  
nimium, si nescirem tuum patro-  
cinium! P. Bourghesius in Soc.  
B. V, sacra.

6. P. Michael a Fontibus  
S. J. cum in India laborum in-  
commodis pluribus consterna-  
tus aliquando jaceret, vidi  
fulgentem Virginem, quæ Mi-  
chaelem bono animo esse jus-  
fit: neque enim Purgatoriū  
pœnas daturum, sed recto tra-  
mite sine remora iturum ad  
cœlum. De eodem sanctus  
qui-

quidam ex Ord. S. Francisci requisitus ab Antistite testatus est, ejus animam a corpore digressam ab obvia B. V. coronatam, Sanctis Petro, Joanne, Ignatio Fundatore praesentibus. Hanc coronam cogita, si quando in honorem B. V. suscepto labore quopiam sudaveris. *Ibid.*

7. Sodalis Bizontinus moriens post JESUM & MARIAM pro auxilio invocatos Crucem manu vibrans, inclamataque ter *Victoria! Victoria! Victoria!* Angelos praeeuntes ajebat se aspicere: quos & secutus est. Qui Angelos sequitur, dum vivit, Angelos sequitur, dum moritur: qui dæmones, dæmones. *Annuæ 1593.*

8. Alius

8. Alius quispiam e Parthenio Cordubensi qua die, quaque hora ad Dominam suam abiturus esset, dixerat. Jam hora aderat cum Angeli tutelaris, quem videbat, collo brachia circumPLICARE conatus Sodalis in ipso conatu animam reliquit Angelicam. Quam longe satius est in Angelicis his amplexibus mori, quam in alienis vivere!

9. Ab oculatis & fide dignis testibus se didicisse refert Pelbartus, quod iter habente ad sylvam quamquam Sigis nudo Imperatore simul & Rege Hungariæ, vocem miserabilem, & lugubri fletu triste aliquid inclamat audierit omnis exercitus, rem inquirere jussi in sylva

sylva cadaver jam foede putridum tabidumque inter vepres jacere , & increscentibus per cadaveris medium , & penetrantibus membra tabo fluentia juncis & spinis spectaculum miserandum reperiunt attoniti ! voces illas lamentabili ejulatu ex eo cadavere prodire audiunt. Presbyterum , ajebat mortuale cadaver , cui confitear , mihi adducite. Plures anni sunt ex quo sub Sigismundo miles hic bello cecidi , quia vero MARIÆ / vere , ab ! vere ! misericordiæ Matri admirabili ! fidelis & devotus servivi semper , illius meritis , illius precibus factum est , ut et tabido hoc & suamet putredine dissoluto jam corpore non prius

abire possit anima hæc misera-  
bilis, & æternum, si sic migret,  
damnanda, quam confessione  
facta expiem illa mea crimina,  
in quæ militaris me licentia  
olim conjecerat; ne si in his ab-  
eam e vita, abeam in ignem  
æternum damnatus, quod tamen  
**MARIA** ob meum erga se affe-  
ctum & facta obsequia non per-  
mittit. Ita exomologesi Sa-  
cerdoti facta, animam reddi-  
dit feliciorem. Ah! vel a ca-  
davere disce **Marinus** vivere,  
mi Sodalis!

10. Non multum absimile  
est id, quod ibidem narrat idem  
author. Scelestus quidem la-  
tronum Princeps cum viduam  
quampiam una cum filiabus  
Sabbatho jejunantem videret,  
atque

atque id se eo consilio facere affirmarent, quod audivissent Beatissimam DEI Matrem id facientibus a Filio impetrare, ut syncere confessi feliciter morerentur, vovit & ipse Sabathinum jejunium honori Virginis, elapsis inde annis pluribus captus & capite truncatus mori tamen non poterat: *Confessionem, confessionem clamabat resectum a trunco caput.* Adest Sacerdos, & caput trunco unit, rogatque rei causam & seriem. Tum vero caput: *Jam, ajebat, resecto prorsus capite, aderant dæmones, qui migrantem animam meam secum ablaturi erant sed Virgo Mater mori me non permisit prius, quam Sacramen-*

to pænitentiæ antealtæ vitæ  
scelera expiarem. Expiavit, &  
statim expiravit ! Memento  
quæso, quisquis mori cupis  
feliciter , ut diem Sabbathi  
jejunio aut alio quopiam ob-  
sequio Mariano sanctifices.

II. Joannes Berchmannus  
e Sodali Mariano Socius Iesu  
factus cum quibusdam con-  
venerat, ut de B. V. cum iis  
crebrius colloqueretur, ad hoc  
se natum existimatbat, ut B. V.  
cultum promoveret. *Si ama-  
vero, inquit, MARIAM, se-  
curus sum salutis perseveran-  
tiæque in arrepto Religionis  
statu; impetrabo quicquid libue-  
rit a Domino, adeoque omnipo-  
tens ero.* Officium , Rosar-  
rium &c. orabat quotidie &  
*Beata*

*Boata viscera MARIAE Virginis quæ portaverunt æterni Patris Filium novem quotidie vicibus repetebat in honorem latentis in utero Virginis DEI. Si quid a B. V. petebat, inscribebat chartulæ, addebat preces &c. subjiciebat pedibus imaginis Marianæ, impetrabat. Nunquam, inquit, quiescam donec obtinuero amorem tenerum erga dulcissimam meam Matrem MARIAM. Ante Mortem: Ne me deseras, MARIA, ne me fallas: Filius enim tuus sum, tu scis! quia juravi. Et alias: Quam, inquit, conatus sum amare in vita, & ipsa amabit me in morte; & alter alterum amabimus in æternum. Rogatus, Joannes, si mille cor-*

*da haberes, nonne MARIAM  
nulle cordibus amares? Re-  
spondit: Mille cordibus ama-  
rem! In agone tandem: Ego  
offendam te, Domine? MA-  
RIA, ego nunquam offendam  
Filium tuum. Absit a me! Ma-  
lo millies mori, decies millies,  
centies millies, millies millies.  
Crucem autem, Regulas, &  
Rosarium complexus arctissi-  
me. Hæc inquiebat, arma mea  
sunt. Hæc tria mihi charissi-  
ma, cum bis libenter moriar.  
Et jam ante contenta alacri-  
que voce Hymnum *Ave maris  
stella* cecinerat, injectoque in  
collum Rosario post turbatio-  
nem collectus dixerit *Abi, Sa-  
thana, non timeo te.* Alias ite-  
rum: *Doleo Domine; credo,*  
*Do-**

*Domine; spero, Domine; amo,  
Domine; Paratum cor meum,  
DEUS, paratum cor meum.*  
*Post Litanias demum recita-*  
*tas, defixis in Crucem, Ro-*  
*sarium, Regulas morientibus*  
*oculis, JESUS & MARIA di-*  
*xit, & vivendi finem fecit.*  
*Ama mille cordibus MARIAM,*  
*& uno corde ama millies, mi-*  
*Sodalis, quam enim conaris*  
*amare in vita, & ipsa amabit*  
*te in morte; & alter alterum*  
*amabitis in æternum.*



Ad quem finem felicius  
assequendum ita frequentius  
perorabitis ad MARIAM.

MARIA, gratiæ & miseri-  
cordiæ abyssus altissima,  
miserorum salus, post Chri-  
stum, certissima ! Gratulor  
ego gloriæ tuæ ! tu sebveni mi-  
seriæ meæ. Per tuam, Domi-  
na misericordissima, & Tui Fi-  
lli mortem te obsecro, & me  
ad pedes tuos prosterno sup-  
plex, miserere inter ultimas  
amaræ mortis angustias luctan-  
tis animæ meæ. Ah ! dulcissi-  
mum solatium meum ! refu-  
gium, & auxilium meum ! præ-  
sidium, & robur meum ! Ti-  
meo tremendam justi Judicis,  
sed

sed tamen Filii tui , sententiam:  
at nisi te amarem , Domina ,  
plus timerem. Terret me illa  
quæ ab uno mortis puncto to-  
ta simul pendet æternitas ! Heu  
amara æternum & infelix æter-  
num , aut æternum felix æter-  
nitas ! Sed ego , o Virgo dulcissima , omnes omnium te aman-  
tium preces , vota , suspiria , la-  
crimas , vitam , agonem , mor-  
tem ipsam tibi offero , & amo-  
rem illum omnem quo Filium  
tuum JESUM ullus unquam  
amplexus est ; ut quod impe-  
trare meis viribus non possum ,  
possim per tuos a te , & per te  
a Filio tuo , DEO meo , quem  
ah ! utinam nunquam offen-  
dissem !

Tibi ultimum illum fudo-

E 5 rem

rein meum , quem mihi mors  
propinqua exprimet , jam nunc  
offer o , & unio sanguineo illi  
orantis , & ultimo illi sudori  
morientis pro me Filii tui JE-  
SU ! Vivam tunc , nec sciam  
me vivere dubius inter vitam  
& mortem ! ac forte ab omni-  
bus sensibus absorptus inter  
dolores mortis , & insidias ini-  
mici , nec tuum potero auxi-  
lium implorare . Sed id nunc  
facio ; & per summam illam  
dignitatem , qua in Matrem  
DEI , & simul Matrem miseri-  
cordiae electa es , obsecro te ,  
o Mater Crucifixi mei JESU ,  
monstra te esse Matrem !

O fidelis Virgo , doce me  
tunc credere . O Mater sanctæ  
Spei , doce me sperare , o Ma-  
ter

ter pulchræ dilectionis, per illos amoris affectus te rogo, quibus tunc ardebas, o Domina, cum sanctam illam tuam animam exspirares, doce me amare: & ne tradas bestiis hanc animam devotam tibi, & hujus servuli tui morientis ne obliviscaris in finem.

Recordare tunc, Domina, miserationum tuarum, quas in tuos unquam effudisti. Monstra tunc, si unquam haec tenus, te esse Matrem DEI & hominum: & quid apud omnipotentem Filium possis, Mater omnipotens etiam in me ostende. Nosti, Domina, quæ sint animæ cum morte & temporali hac, & æterna illa luctantis angustiæ! Trepidat misera,

E 6 lu-

luctatur , angitur , horret egredi : formidat justum tribunal Iudicis, ad quod evocatur. Tu illi migranti assiste , Mater piissima ; tu prima sinu Materno trepidam excipe , ubi migraverit ; tu pro illa causam age ante tribunal Filii : te enim Advocata non audiet tremendum illam æternum damnatorum sententiam.

O MARIA dulcis tessera salutis meæ , salus spei meæ , spes & signaculum cordis mei , anima & felicitas mortis meæ! Pro illis omnibus , quos in morte benigna adjuvisti , gratias Filio tuo , & tibi. Tibi vivo , & Filio tuo , Domina : moriar illi , & tibi , ecce illam , quam tunc exhalabo animam , dono

dono illi , & tibi , mortem  
meam illius , & tuæ morti  
unitam commendô illi , & ti-  
bi ! Nemo hactenus vacuus a  
te abiit ; nemo fuit , cui dul-  
cissima misericordiæ tuæ vi-  
scera non patuerint . Tu Vi-  
tam peperisti mihi quæ in  
Cruce pro me mortua est ,  
ut ego bene morerer . Per-  
mitte ergo , Domina , permit-  
te me unum ex iis esse , qui ab  
infelici æternitate se per te  
servatos in æternum gloria-  
buntur : ut cum illis , & dul-  
cissimo Custode meo Ange-  
lo , ac sanctissimis Patronis  
meis NN. & omnibus tibi de-  
votis Filiis æternum una cum  
JESU amem te , laudem te , am-  
plœtar te . Ita spero ! Amen .

E 7 S. Mech-

**S**o Mechtildis V. didicit a B.  
V. modum quendam per  
Salutationem Angelicam quoti-  
die recitandi: promisitque si il-  
lum observaret, se illi in hora  
mortis ad futuram, de quo etiam  
jam supra facta est mentio, mo-  
dus ipse est iste.

Collige primo mentem ad se-  
riam mortis memoriam brevi-  
ter, & recita Ave MARIA,  
&c. tum subjunge. O Domi-  
na mea, sancta MARIA, si-  
cut DEUS Pater per omni-  
potentiam suam te potentissi-  
mam effecit: ita mihi, quæ-  
so, adsis in hora mortis ex-  
pellendo a me omnem contra-  
riam potestatem.

Sub-

*Subjunge Ave MARIA alterum; & adde.* O Domina mea sancta MARIA, sicut Filius DEI tanta te cognitione & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines: ita in hora mortis animam meam cognitione Fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur.

*Post tertium demum Ave MARIA quam attentissime recitatum hanc subnece.* O Domina mea S. MARIA, sicut sanctus Spiritus suum amorem plene tibi infudit: ita tu in morte dulcedinem Amoris divini instilla mihi, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima.

*Mi-*

Mirum quantum etiam confert ad felicem mortem obcundam , pro animabus in Purgatorio detentis DEUM , Deique Matrem Virginem singularem illarum animarum Patronam orare quotidie. Hinc fuisse quamplurimi , & sunt , qui pro animabus illis sacro interfunt quotidie ; sunt , qui pro illis etiam faciant ad aram sacra frequentius eo fine , ut felicem per illas a DEO e vita extitum impetrent . Ita sacro proforo facto eam a Purgatorio exemit S. Thomas Angelicus Theologus , & ab ea felicem & brevi subsecuturam mortem suam intellexit . Surius 7. Martii.

B. V. dolores & gaudia coluisse , egregia est ad felicem mortem præparatio. Fuit vir Ecclesiasticus, qui inter amarissimos mortis agones B. V. habuit consolatricem , quæ illum ex hac lacrimarum valle erexit feliciter secum abduxit ad Superos , eo quod hanc, quam subjicio , precatiunculam sibi quotidie recitasset probus etiam cæteroquin MARIAE servus.

Gaude , felicissima : quia Archangelus immenso te olim gaudio ac voluptate perfudit. Gaude , o Beatissima ; quia DEI Mater effecta es. Gaude , o lucidissima ; quia orbi peperisti lumen orbis. Gaude , o benedicta , quia beatam

tam te dicent omnes genera-  
tiones.

---

Denique ita s̄epe & bre-  
viter suspira ad Virginem.

**O** MARIA Mater vitæ &  
gratiæ! tu effice, ut tuus  
vivam & moriar!

Devotum tibi esse arrha  
est quædam salutis , quam  
DEUS iis dat, quos vult sal-  
vos fieri ! *S. Damasc. in Ann.  
B. V.*

Nemo est , Domina , ne-  
mo est, qui MARIAM ama-  
verit, qui a natus etiam non  
fuerit a MARIA.

Prædestinatæ animæ signum  
est te amare ! Ora , Domi-  
na , & effice , ut amem te ,  
imprime mihi signum hoc ,  
o signum magnum , quod in  
cœlo apparuisti !

Circumdabunt me gemi-  
tus mortis , & dolores in-  
fernī ! Sed tu dulcissimum  
peccatorum refugium , Soda-  
lium tuorum solatium , mi-  
seri misereri potes , si velis !  
&c.

Ab initio renovationis hu-  
manæ omnibus sub tuum præ-  
sidium confugientibus huc-  
usque succurristi , & idcirco  
præ omni creatura omni lau-  
de dignissima dici & esse me-  
ruisti . Eja succurre , oramus ;  
ut laus , quam per tot secula  
digne

digne possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perduto subvenisti.

Tibi ergo nos commendamus ! tu procura, ne pereamus! *S. Alselmus de excell. B. V. c. ult.*

Quot sunt, Domina, quot sunt, quos inter amarissimas mortis angustias consolata es, & eripuisti e faucibus insidiantis dæmonis, & tuo Filio reddidisti ?

Intolerabile esset mori, & quis esset, qui evaderet salva anima, nisi & JESUS Patri vulnera, & MARIA filio ubera demonstraret: & hinc lac Matris, inde sanguis Filii apud Patrem pro me, heuni-

nimum prodigo filio ! misericordiam extorquerent ?

Ah JESU ! per dulcissimam Virginem Matrem tuam ; per amarissimam mortem tuam miserere tunc mei, quando tua misericordia vel maxime indigebbo !

Naturalis MARIAE filius cœli hæres est. Tu effice , o Mater , ut adoptivi filii subsequantur.

O Mater gratiæ , effice apud Filium qui te gratia plenam fecit , ut in gratia vivam & moriar ! o Mater misericordiæ : ostende mihi in vita & fine vitæ meæ misericordiam tuam , & cantabo tui Filii , & tuas misericordias in æternum ! quia qui habuerit characte-  
rem

rem nominis tui, annotabitur  
in libro vitae.

O Sancti omnes, & Sanctæ  
DEI, qui MARIÆ singulari af-  
fectu devoti fuisti unquam,  
& vos beatissimi Spiritus An-  
gelici, orate Reginam vestram,  
ut me non deserat; sed animam  
hanc, pro qua JESUS mortuus  
est, suo sinu excipiat emigran-  
tem, & vestro numero inscri-  
bat. Amen!

Id quod vestrum singulis,  
Mariani, & omnibus MARIÆ  
devotis Filiis ut cedat quam  
optime, monstrate vos Filios  
MARIÆ MATRIS AGONIZAN-  
TIUM, & erit felix vitae  
vestræ

F I N I S,



